

BREVIS
HISTORIA
JURIS ROMANO-NEAPOLITANI
AUDITORUM
USUI ACCOMODATA.


CUI
Adnectentur Ejusdem Juris
INSTITUTIONES.





NEAPOLI
ANNO AERAE CHRIST. MDCCLX.
TYPIS VALENTINI AZZOLINI.

AUCTORITATE PUBLICA.



VIRO AMPLISSIMO

CAROLO DE MARCO

FERDINANDI IV.

NEAPOLIS, AC SICILIÆ REGIS
A SECRETIS.

AUCTOR.



ON MIHI DIU DELIBERANDUM FUIT, ECCUI QUALECUMQUE OPUSCULUM HOC, QUOD BREVEM HISTORIAM JURIS ROMANO-NEAPOLITANI COMPLECTITUR, DICANDUM A ME ESSET. UNUS MIHI EX OMNIBUS OB OCULOS OBVERSATUS ES, CUM TANTA SINT DECORA, ATQUE ORNAMENTA TUA, UT NIHIL SUPRA. AC SANE SI UMQUAM CERTUS ESSEM, A TE ALIQUAM GRATIAM INITURUM, SI SINGULATIM PENE INNUMERA

MERITA TUA MEA ORATIONE LICET IMPOLITA, ATQUE TALI ARGUMENTO MINUS APTA PERSEQUERER, MIHI CREDE, SATIS DECERNERE NON VALEREM, UNDE INCIPERE, AUT QUO DESINERE OPUS FORET. NÆ TUÆ GENTIS CLARITUDO, ANIMIQUE TUI VIRTUTES, QUAS MIRUM IN MODUM VEL AB INEUNTE ÆTATE EXCOLUISTI, MATERIEM DICENDI TALEM SUPPEDITARENT, UT DIFFICILE ADMODUM ESSET AUT INITIUM DICENDI INVENIRE, AUT FINEM PRO JURE ADSEQUI. QUID PORRO MIHI EVENIRET, NESCIO, SI UMQUAM EAS LAUDES ATTINGERE VELLEM, QUAS PROMERITUS ES, UBI DIFFICILE CAMPANIÆ NOSTRÆ REGIMEN TIBI A SAPIENTISSIMO REGE CATHOLICO CAROLO III. COMMENDATUM, EO PRÆSERTIM TEMPORE, QUO IMPROBORUM HOMINUM VITIO PUBLICA TRANQUILLITAS, AC PRIVATA NONNULLORUM SUBDITORUM QUIES CAMPANIAM INCOLENTIUM VEXABATUR. CERTE QUAM OPINIONEM DE TE INVICTISSIMUS REX PRÆCONCEPIT, NON ADÆQUAVIT SOLUM, VERUM ETIAM SUPERAVIT EVENTUS. ECQUID PLANE

PO-

POTUIT IN TE DESIDERARI IN TAM NEGOTIOSO MUNERE PROSEQUENDO? JUSTITIA NE, VIGILANTIA, PROVIDENTIA, IN REGEM OPTIMUM CARITAS, ATQUE FIDES? NIHIL HORUM TIBI DEFUIT. NAM SEMPER A TE SACRILEGUM HABITUM EST, A JUSTITIÆ ORBITIS VEL LATUM UNGUEM DEFLECTERE; NULLOQUE POTENTIORUM RESPECTU, AC PARTIUM STUDIO ID SEMPER JUSSISTI, QUOD RATIO, AC LEGUM SCITA IMPERARENT. VERUM MEMET AB HIS FUSE ENARRANDIS VEL INVITUS ABSTINEO, QUOD VEREOR, NE DUM BENEVOLENTIAM TUAM COLLIGERE SATAGO, TIBI DISPLICEAM, CUM PRO TUA VERECUNDIA, MORUMQUE HONESTATE, QUA PRÆCELLIS, MINIME PATIARIS, HÆC CORAM EFFARI. ATQUI SINAS SALTEM OBSECRO, MIHI ENIM TEMPERARE NEQUEO, UT VEL HOC UNUM MEMOREM POSTERORUM MEMORIA PROFECTO DIGNISSIMUM, TE MAXIMARUM LAUDUM PENORE CONDECORATUM ADEO PLACUISSE EIDEM CAROLO REGI ACERRIMO INGENIORUM ÆSTIMATORI, UT HUIC REGNO DATURUS VIRUM, QUI UNIVERSÆ JURISDICTIONI CUM CIVI,

LI, TUM ECCLESIASTICÆ PRÆESSET IN TE POTISSIMUM CONJECERIT OCULOS, CUJUS SC. SINGULAREM FIDEM, SCIENTIAM, CONSTANTIAM PERSPECTAM HABEBAT; QUAMVIS TOT TANTISQUE VIRIS URBS NOSTRA ABUNDET, QUI PRO VIRIBUS QUOQUE JUSTITIÆ PARTES SERVARE DECERTENT. NEC PRINCIPEM SAPIENTISSIMUM OPINIO SUA FEFELLIT; NAM PLACES ADEO, UT FELICITATEM PUBLICAM TE ATTULISSE NEMO NON DICAT. ATQUE HÆC HABUI, QUÆ TIBI DICEREM, UT CAUSSAM HABERES, QUA UNICE MOTUS TIBI OPUSCULUM MEUM DICARE STATUI. NIMIRUM MIHI PERSUASI, LABORES MEOS BENE, FELICITERQUE MIHI CESSUROS, SI TIBI UNI OBSEQUENTIS ANIMI MEI SIGNIFICATIONEM EDEREM TANTULA OPUSCULI MEI DEDICATIONE. TE IGITUR ROGO, BENIGNE EXCIPIAS, AC SI QUID AB REP. OTII ERIT, AD MANUS SUMAS. ID SI PRO TUA HUMANITATE FECERIS, ME BEATISSIMUM PRÆDICAVERO. VALE.

ADO-

ADOLESCENTI
JURIS ROMANO-NEAPOLITANI
STUDIOSO.

Auctor S.



UI mos est eorum, qui in publicum sua Opera emittunt, benevolos Lectores præmonere de caussis, quæ Operibus suis edendis originem dederunt, eum nunc sequar equidem necesse est. Plura enim dicenda a me sunt, quæ te reddant instituti mei compotem, tuamque erga me benevolentiam, quod caput est, concilient. Quare quæ omnia ad meam hanc causam pertinent, tibi mox proponam in hunc modum. I. tibi dabo ea, quæ rationes mei instituti complectuntur. II. quædam habebo, quibus tuæ humanitatis erga me potiora argumenta exhibebo. Atque ab his omnibus paucis me expediam; nec enim pluribus te tenebo.

Et quod ad primum spectat, teneas rogo, me jamdiu dolere cæpisse, nostrum neminem ad hunc diem studuisse, breves Institutiones edere, quæ cum Civilium, tum Neapolitanarum legum specimen quoddam præberent, quæque captui Tironum, qui utrumque Jus discere vellent, essent accomodatæ, ut sc. communes, ac municipales leges, prout apud nos in usu sunt, discriminatim, ac præclare noscerent. Neque ex hoc tantum contristabar; Nam angebar etiam ex eo, quod jam apud exteras gentes idem opus viri plane doctissimi susceperant. Eccui ignotum, id omnino perfecisse optimo Germanorum, Gallorum, atque Anglorum Adolescentum Juris Romani, ac Patrii studiosorum Heineccium, Conringium, Thomasium, Schilterum? Quibus heic equidem accenserem alios gloriæ, atque utilitatis suorum amantissimos, si id nunc agerem. Verum dum hæc omnia animo obversabantur, mihi numquam tribui, tale opus aggredi, tum quia iis tantum capiebar, quæ mei muneris essent, contentus tantum mecum ipse meditari, atque exscribere, quæ in doctiorum virorum illustrioribus Operibus, quæ diu noctuque, pro eo ac possem, perlegere studui, adnotatu

notatu

notatu digna occurrere solent, tum quia me imparem tam gravi negotio prosequendo satis noveram. Accedebat his ferox quorumdam inimicorum meorum invidia, quibus, uti christianum hominem decet, bona omnia adprecor, quorum non tam acre, quam impium judicium non mihi tantum, qui parum valeo, sed cuivis vel doctissimo viro pertimescendum. His de caussis factum quoque, ut quæ de Jure Canonico, Feudali, ac Criminali collecta in **Forulis** *habeo, numquam passus sim typis evulgari posthabito quolibet amicissimorum virorum hortatu, nec porro meo nomine, siquidem D. O. M. annuat, edi sinam. Verum me ejusmodi difficultatibus implicatum tandem tribus abhinc mensibus excussit Vir quidam doctissimus, mihique amicissimus, qui primum me commendavit, quod dolerem, neminem hactenus commoda nostrorum Adolescentum fecisse utriusque juris studiosorum, tum vero acerbe me carpere cæpit, quod rem non aggrederer utilitati profecto futuram, tantumque deferrem inimicorum quorumdam invidiæ, quorum injurias, ac scommata effugere difficile semper fuit iis, qui in publicum prodire debuerunt, ut vel publico, vel privato com-*

commodo consulerent. His equidem rationibus motus cæpi, festinanter rei operam dare. Tenes igitur caussam, eccur mihimet imperaverim, ut aliquid novi ederem.

Nunc accipe pauca, quibus mens mihi est, aperire, quid factu opus esse putarim, ut rem tantam exequerer. Ac primum hæsit animus, ut statuerem, quisnam interpres Institutionum Civilium esset a me exscribendus, ut præcepta Juris Civilis tibi traderem; Nam e penu mea depromere novos ad Justiniani Institutiones commentarios, supervacaneum mihi vel sub initium visum fuit, cum satis celeberrimos Viros is labor exercuerit. Quare ne te morer (multus equidem essem, si de civilium Institutionum Interpretibus, vel saltem iis, qui ad manus esse solent, Judicium nunc ferre vellem) demum decrevisse tene, Heineccii Elementis Juris Civilis uti, ut prima Juris Romani præcepta noscceres. Sane Cl. Heineccium qua ordine, quo Justinianeas Institutiones mire explicavit, qua rerum delectu, ac nitore, quo undique rebus obscurioribus lucem affundere curavit, ceteris omnibus præferendum arbitratus. Neque his tantum motus fui rationibus, sed

sed vel hac etiam, quod sc. anni spatio posset Tiro, me prælegente, pedetentim intelligere, quæ is idem in suis Institutionibus habet. Quod autem ad Juris Municipialis notitiam pertinet, tibi continuo, quiquid eo rediret, tradi rite posse sensi, si quid nostro a Jure Romano variatum, peculiaribus ad ipsum Heineccium notulis tibi exhiberem. Igitur ab Heineccio haberi puta, quidquid Jure Romano cautum, a meis notulis variantes a civilibus leges Neap. Verum cum in Elementis Heineccianis Juris Romani historia desit, quandoquidem vix tantum Cl. Vir doceat ea, quæ ad Proœmium Justiniani erant dicenda (tametsi integram Juris Romani Historiam *alio opere perbelle persecutus sit) necesse mihi visum primum omnium brevem Juris Romani historiam componere. Cui proprium quoque erat adnectere brevem alteram Juris Neapolitani, cum necessarium omnino sit studioso legum Romano-Neapolitanarum utriusque Juris Origines, ac fata scire. Hinc curare primum cæpi describere, quæ ad brevem historiam Juris Romano-Neapolitani spectarent hoc animo, ut eamdem præmitterem Elementis Juris Heineccii, quibus subjiciendæ erant meæ notulæ. At quo-*

quoniam calamum subivere nonnulla, quæ effecerunt præter opinionem meam talem Historiam longiorem, idcirco eam Heineccio adnectere opportunum mihi nequaquam visum, sed peculiari volumine edi oportere statui, ne sc. prior Heineccii pars (in animo enim mihi est, Heineccii Institutiones in duas partes tribuere, quarum altera primum & secundum, altera tertium & quartum Librum complectetur; qua de re, ubi opus erit, te monebo) nimio paginarum numero Tironibus negotium facesseret. Ex his igitur puto, temet colligere, quid umquam brevi hac historia, quam tibi nunc offero, contendam. Equidem reor, te tenere, brevi hac historia momentosiora quæque proponere velle, quæ ad fata Juris Romani, & Neapolitani spectant. Habebis porro Heineccium, quo duce Juris Romani præcepta disces, ac demum meas ad eumdem notulas, quibus variantium legum Neapolitanarum capita recensebo, prout sc. vel derogatum, vel a legibus nostris Jus Romanum abrogatum. En Instituti mei rationes.

Nunc venio ad ea, quæ ad alterum Epistolæ hujus caput pertinent, quæque propius meam caussam attingunt. Ac ne te diutius morer, quæ a te majorem in mo-

modum pro tua humanitate peto, mox conferam. I. Historiam hanc, qualiscumque est, ad manus minime sumas rogo iniquo animo, quemadmodum hodie fieri solet. Quæ tibi videntur dissona, absurda, ac si quæ alia tibi occurrunt, quibus erit, cur pro iure culper, continuo paratum habebis ad menda quævis expungenda, ubi pro eo ac decet, me monueris, tibique quammaximas gratias agam, ac si non uti res feret, saltem pro meis viribus hujusmodi erga me beneficiis tibi satisfacerè studebo. Habeo equidem, fortasse fore, qui verba, sententias, ac quævis alia, quæ in hoc Libello comprehenduntur, uti & ea, quæ deinceps aliis complectar, carpere, ac ferme sauciare satàgent. At me minime isthæc turbabunt, cum id passos satis sciam Viros doctissimos, qui longissime ingenio, doctrina, ac meritis me præstiterunt, mibi tamen reliquum erit vel præ pudore silere, ac me facti pœnitere, vel potius lætari, me, licet immerito, eo fato abreptum, quod Viri doctissimi subiverunt. Itaque factum, ut primum te rogare statuerim, ut benevolo, æquoque animo ad mea isthæc legenda accederes. II. velim obsecro attendas, me primum omnium pro Tironum

num

num commodo id onus iniviſſe. Quare eo ſtilo res omnes in hac Hiſtoria deſcribere ſtudui, quo oportebat, ne eorum ingenia vocabulorum, ac ſententiarum obſcuritate gravarer. Neque minus ſtudui, ea referre, quæ ad propoſitum facerent; Luculentiora enim, ni fallor, quæ tantum materiam, de qua diſſertare opus erat, illuſtrarent, referre mihi maxime placuit. Hinc notulas ullas adſerere nolui, quamvis altera editione, ſi umquam D. O. M. faxit, ſubnectam, quas prima hac vice miſſas facere haud abs re fuit. Hæc duo ubi humaniter proſequeris, futurum auguror, ut & meæ famæ conſulatur, & tuæ erga me humanitatis fructus longe uberrimos experiar. Atque hæc de Inſtituto meo, argumentiſque, quibus tuam erga me benevolentiam colligere ſategi. Vale.

AD-

ADPROBATIONES UTRIUSQUE CENSORIS.

MAgnificus U. J. D. D. Nicolaus Alphanus in hac Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. Die quarta M. Martii 1760.

NICOLAUS DE ROSA EP. PUT. CAPP. MAJ.

S. R. M.

SUmma animi voluptate, M. V. jubente, recenſui, uti par eſt, opus, cui Titulus *Hiſtoria Juris Romano-Neapolitani*, nec quidquam in eo recolere mihi datum eſt, quod vel a Regiis Juribus, vel a bonis moribus abſonum videatur; Quinimmo Regiam Poteſtatem, & Sacra Principatus Jura in legibus condendis ſive Romanis, ſive Municipalibus, ſive Feudalibus pro Majeſtate commendat, vetuſtam æque, ac recentiorem redolet eruditionem, Artiſque Criticæ nobiliori lumine repletur. Cum ergo juris amatoribus valde prodeſſe ad chronologicam legum repetitionem enodandam poſſit, dignum proinde, ut M. V. juſſu accedente prælo detur, cenſeo. Dabam Neap. Idib. Mart. Æræ Dionys. Anno MDCCLX.

Devotiſſimus Cliens

Nicolaus Alphanus R. Profeſſor.

Die 26. menſis Martii 1760. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 23. currentis menſis, & anni, ac relatione U. J. D. D. Nicolai Alphani de Commiſsione Rev. Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis = Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac adprobationis dicti Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum &c.

Caſtagnola. Fraggianni. Gaeta. Romano.

Ill. Marchio Danza P. temp. ſubſcript. imp.

Reg. fol. 86. Athanaſius.

Carulli.

V. C. P. D. Chilianus Caracciolus Lector Theologiæ Congregationis Olivetanæ revideat, & in Scriptis referat. Dat. Neap. Non. Decembr. 1759.
Josephus Sparanus Can. Deputatus.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

OPus, cui Titulus *Brevis Historia Juris Romano-Neapolitani*, jussu E. tuæ attente perlegi, & quidem maxima animi voluptate. In eo siquidem omnia ita concinne, eruditeque exposita sunt, ut nihil ultra reliquerit doctissimus Auctor, ac Regius in nostra Neap. Academia J. C. Professor hac in re desiderandum. Cum vero nihil in eo deprehenderim, quod Orthodoxæ Fidei, bonisque moribus adversetur, communi Reip. litterariæ bono publica luce frui debere censeo. D. Neap. Kal. Mart. Anno MDCCLX.

Humil. Add. Cliens
D. Chilianus Caraccioli.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur.
I. Sansuerinus Ep. Filadelf. Vic. Gen.
Josephus Sparanus Can. Dep.

Brevis Historia
Juris Romano-Neapolitani.

§. I. QUod Deus bene, feliciterque vertat, brevem Historiam, quæ Juris Romano-Neapolitani fata, originesque exponat, jam dare in animo mihi est. Quod equidem ut rite persequar, duabus partibus, quidquid eo redit, complectar, quarum prior erit de Ortu, & Progressu Juris Romani, altera Originem, ac Fata Juris Neapolitani proponet.

PARS PRIOR.

De Ortu, & Progressu Juris Romani.

§. II. QUi de Juris Romani fatis agunt, tricas bene multas heic serunt, ut pro suo quique ingenio ejusdem Juris ætates enumerent. Mihi tamen adprime placet pro triplici Pop. Rom. fortuna tres Juris Civilis ætates modo recensere, quod equidem a nonnullis probatum video. Itaque tres ætates Juris Romani jam

tene, quarum primam Regiam appellato, ſecundam Liberam, tertiam vero Imperialem: quandoquidem Romani primum Regum Dominatum paſſi, tum Conſulum regimini ſubeſſe, ac demum Imperatorum potentiam, juraque ferre debuerunt. Atque hæc omnia tribus capitibus mox excipe.

CAPVT I.

De Prima Juris Romani Ætate ſub Regibus.

§. III. QVæ fuit urbis Romæ ſub ſeptem Regibus partitio, quæve fuit Regum Romanorum in rebus gerendis Politia, ſuperfluum eſt enarrare, cum id inſtituti mei ratio non poſtulet. Opportunum tantum hic eſſe puto, ea tantum docere, quæ ad Legum Romanarum Originem, ac progreſſum ſpectant.

§. IV. Et quidem Legum Romanarum origo a Romulo Urbis Romæ conditore repetenda eſt. Is plane urbem ſuo Imperio regere, ac pro arbitrio legi-

legibus firmare cæpit. Ad rem Tacitus *Annal.* III. 26. ait, *Romulum, ut libitum, imperitasse*. Verum obstare videtur nonnullis interpretibus Juris Civilis Pomponius Ictus, qui l.2. §.1. de Origine Juris hæc habet: *Initio Civitatis nostræ Populus sine lege certa, sine Jure certo primum agere instituit, omniaque manu Regis gubernabantur.* Quem profecto variare ex eo vides a Cornelio Tacito, quod Tacitus pro arbitrio Romuli leges conditas sub initium Romæ docet, contra vero Pomponius aperte Pop. Rom. *sine lege certa, sine Jure certo primum egisse* affirmat. Sed meo quidem judicio quam mire ambo inter sese consentiant, nunc vide. Habes apud Tacitum, Romulum *ut libitum imperitasse*. Id si recte interpreteris, firmum habebis, Romulum *manu*, *sive arbitrio suo primum* rebus Rom. præfuisse. Quamobrem nemo non videt, nihil hac in re Pomponium a Tacito dissonare. Quod vero ea ætate, qua omnia manu Regis gubernabantur, Romæ certum Jus defuisse JCtus velit, id te non moretur, non quod velim opineris, sub Romulo

certum jus fuiſſe nullum, cum Romulum leges quasdam curiatas ad Populum tuliſſe memoriæ proditum ſit, ſed potius tene, arbitrium illud incertum jus feciſſe non dum conſtituta Reip. Rom. forma. Quod porro certum eſſe cæpit Populo in triginta curias deſcripto. Itaque factum, ut ante Curias Romuli poteſtate, & Imperio res Romana ſteterit, atque is idem pro lubitu imperitarit; Quare cum pro rerum eventibus Rex ipſe arbitraretur, certi Juris creandi ratio ſub initium defuit. At Populo in xxx. Curias deſcripto, ſicque recte conſtituta Civitate Romana, Pop.Rom. tum primum certo jure regi cæpiſſe tene. Id luculenter demonſtrat frequens illa mentio Legum Romuli, quæ quoniam poſt Pop. Romani partitionem certæ eſſe cæperunt, fere ſemper curiatæ nuncupantur. Atque in hunc modum ea duo loca componi recte poſſe mihi videntur, quæ, neſcio qua cauſa, bilem nonnullis civerunt.

§. V. Ecquænam vero fuerint, quotque leges, quas ſub Romulo poſt curias Populus Romanus juſſit rogante Rege ea formula *Velitis Jubeatis*, affir

firmari tuto nequit, quandoquidem Tabulæ omnes, quibus olim Romuli leges deſcriptæ, temporum injuria ad manus noſtras non venerunt. At ne omnia, quæ huc fortaſſe ſpectare quidam ajunt, omnino deſiderentur, conferam tantum eas Romuli leges, quas exhibet Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* II. *Antiquit. Rom.* his verbis: *Mulier, quæ ſecundum ſacras leges convenit in manum, particeps bonorum, ſacrorumque Mariti eſto: Patri in liberos jus vitæ & necis; illoſque ter venumdandi jus eſto; tertium venumdati, & manumiſſi è Patria poteſtate exeunto: Sordidas, ſellulariaſque artes cives ne faciunto, ſed ſtudiis militaribus, reique ruſticæ vacanto: Temetum mulier ne Bibito.* Mitto pœnam Patronis addictam, ſi fraudi clientibus eſſent, Patrum jus monſtroſos partus exponendi, ceteraſque ejuſdem Romuli leges, ne moræ ſim. Verum ſi tanti tu hæc habes, vide Cl. Paulum Merulam, qui in *de Legibus Romanis* pleraſque leges Romuli pereleganter recenſet.

§. VI. Suas quoque leges rogarunt,

 qui

qui Romulum secuti sunt Reges, quas heic enumerare inutilis labor est. Certe Numam nonnulla statuisse de cæde, sepultura, & contractibus bonæ fidei, quæ sunt juris gentium præter sacrorum ritus: Servium Tullium eam juris, & quidem civilis partem composuisse, quæ est de contractibus, delictis, fænore, atque ære alieno quinquaginta latis legibus auctor est idem Dionysius *Antiquit. Rom. lib.* IV. *&* V. Idem labor exercuit quoque ceteros Reges, qui novas leges condere, dum regnarunt, nequaquam desierunt. Atque hinc factum, ut leges Regiæ usque ad Servium curiatæ, tum centuriatæ dictæ, quod sc. eas Populus Rom. a Romulo in curias, a Servio in centurias porro descriptus jusserit. Quod vero ferme omnes leges Regiæ publicum regimen potius, quam privatum spectarunt, id ne mireris. Nam ita factum oportuit, ut sc. nova urbs Imperio, & Religione primum firmaretur, quæ duo societatem omnem instituunt, servantque. Quamobrem si quid Juris deesset privatorum hominum controversiis transi-

gen-

gendis, opportune admodum arbitrio Regis, uti sese daret occasio, constitutum legimus. Igitur haud abs re commendandum omnino est antiquissimum illud Romanorum institutum, cujus auctor Romulus, quo tributum Patriciis (quibus vitio datum, Jus civitatis ignorare) sententiam legum omnium civilium custodire, atque plebeis explicare. Quo non tantum mutuis officiis, animisque Patricii cum Plebeis tamquam Clientibus devincti, verum factum, ut vel levi incommodo quivis Patrias leges pernosceret, quæ captu perdifficiles erant, quod maximam partem imperii jura complectebantur.

§. VII. Verum cum Romani superbum, impotentemque Tarquinii Dominatum indignati, eumdemque duce Junio Bruto cum regio nomine, imperioq. ex urbe pepulerint, impositus demum regiis legibus condendis finis. Earum certe aliquot, quæ Religionem, ac privatorum jura constituebant, nec regium nomen, imperiumque præseferebant, in leges XII. Tabb. per Decem viros collatas vult Cujacius *observat.*

III. 40. Atqui Cujacius non est ita heic intelligendus, ut ceteræ leges, quæ in XII. Tabulis non comprehensæ, omnino ex hominum memoria exciderint. Sane vel ipsis Tarquinii temporibus floruit Papirius Romanus homo, qui non multo post expulsos Reges leges omnes Regias in unum contulit. Atqui quot libris Regias leges Papirius ediderit, non omnino certum: Equidem video, unum Pomponii locum eruditos interpretes transversos hac in re agere. Sic plane vulgata lectio Pomponii verba exhibet l. 2. §. 2. de Orig. Juris: *Tulerunt* (leges) *& sequentes Reges, quæ omnes conscriptæ exstant in libro Sexti Papirii*.. Profecto si in hunc modum legere tibi arridet, duo habebis, & Papirium sextum appellatum, & in unum librum leges omnes Regum Romanorum redegisse. Sin autem variantes lectiones Jacobi Cujacii, & Caroli Conradi tibi cordi sunt, quorum alter ad tit. de *Orig. juris* multorum MSS. codicum auctoritate motus, non sextum legit, sed notam numeralem VI. alter in Præfat. ad Tom. I. Opusc. Byn-

Bynkersh. numeralem notam VI. interpretatur ſex, & pro *libro* legit *libros*, vel oportebit affirmare cum Cujacio, Papirium ſexto libro leges regias comprehendiſſe, qui ſecutus quinque alios, quibus fortaſſe patrias antiquitates deſcripſit, vel cum Carolo Conradi ſex libris leges omnes regias Papirium collegiſſe. Vtraque conjectura probari vel facile poteſt. At me potius trahit vulgata lectio. An tibi inveriſimile ſit, Sextum Papirium quemdam in librum unum regias omnes leges contuliſſe, quemadmodum ex vulgata Pomponii lectione excipitur? Igitur præclare vides uno libro leges omnes Regias Papirium deſcripſiſſe, ſiquidem communem, vel Cujacianam Lectionem ſequaris, ſex vero libris, ſi illam Conradi probes. Rem hanc pro tuo arbitrio expendito.

§. VIII. Nunc reliquum eſt, ut de fato Papirianæ iſtius collectionis agatur. Equidem teneo, omne Papirii opus temporum injuria periiſſe. Non deſunt tamen, qui ejuſdem operis fragmenta duo exſtare ajunt, unum de *Prægnante mortua* apud Marcellum in *l.* 2. *ff. de Mort.*

Mort. Inf. quod peculiari Dissertatione illustravit Zaccharias Huberus, alterum apud Macrobium III. *sat.* 11. Sed mehercule falluntur. Ea duo fragmenta potius ex Granii Flacci in jus Papirianum commentario sunt repetenda, qui plane Julio Cæsari Συγχρονος fuit, commentariumque in Jus Papirianum edidit. Et quamvis Flacci commentarius jampridem periit, tamen ambigere non est, ea ætate, qua Marcellus, & Macrobius floruerunt, Granii librum ad manus ICtorum, atque doctorum virorum fuisse, ac nonnulla data occasione exscripsisse, quæ legum regiarum specimen quoddam potius exhiberent. Legatur Petrus Wesselingius *Obs.* 1. 4. Quinimmo sapienter hac in re sentire puto Jo. Nic. Funccium *de Pueritia Lat. Ling. cap.* III. §. V. quippe qui docet, fragmenta alia legum regiarum, quæ contulere Servius, & Festus antiquissimi, ac peritissimi rerum latinarum scriptores ἀμέσως ex Granii Flacci commentario depromta, cum ætatis illius stilum minime redoleant, qua Romæ regnatum est. Atque hæc omnia Papiria-

num

num Jus omnino defeciſſe perbelle demonſtrant. Verum velim hic teneas, non defuiſſe poſtmodum doctos viros, qui ipſarum legum regiarum fragmenta colligere, atque ex ſcriptoribus latinis hinc & inde corradere ſategerunt. Qua in re profecto præſtiterunt Antonius Auguſtinus, Contius, Balduinus, Prateius, Vrſinus, Manutius, Merula, Lipſius, aliique. Sed horum labori, induſtriæque tantum debemus notitiam Regii Juris, non vero genuina legum Regiarum verba. Nam hi plerumque pro ingenio latini ſermonis Regias leges confixerunt, quas ſparſim veteres ſcriptores prodiderunt, qui potius ſententias legum regiarum non vero ipſamet verba paſſim retulerunt.

CAPVT II.

De Secunda Juris Romani Ætate ſub Conſulibus.

§. IX. HActenus de Ætate Juris Romani ſub Regibus. Hanc excipit ætas illa, qua a conſulibus Reſp. Romana adminiſtrari cæpit. Ac ſane expulſo

pulso Regio dominatu Consules duo centuriatis comitiis creati res Romanas gerere cæperunt. Quodnam vero jus tum primum sub consulibus obtinuit, tradit Pomponius §.3. his verbis: *Exactis deinde Regibus lege Tribunicia, omnes leges hæ* (Regiæ) *exoleverunt*, *iterumque cæpit Pop. Rom. incerto magis jure*, *&* *consuetudine ali*, *quam per latam legem*, *idque prope viginti annis passus est*. Sed non omnis fides est hisce Pomponii verbis præstanda. Ait, exactis regibus lege tribunicia omnes leges Regias exolevisse. Verum hac in re nullam fidem meretur, quod nullam legem historici rerum Romanarum prodiderunt, qua constet, leges omnes Regias peculiari lege abrogatas. Quinimmo perstitisse leges Regias satis duo demonstrant, cum sc. collectio Papiriana, quæ post expulsos Reges prodiit, tum usus nonnullarum legum Regiarum, puta Romuli de summo Parentum Imperio in Liberos, Servii de censu, ac de contractibus, aliarumque a Regibus rogatarum. Videsis Dionys. Halicarnas. *Antiquit. Rom.* V. Atque heic digitum etiam intende ad

ad *Tò exolevisse;* nam cum velit eo vocabulo Pomponius significare, leges Regias abrogatas fuisse, in errorem omnino incidit, cum latine abrogari, non exolescere leges dicatur, cum contraria lege abrogentur. Qua de re, ne tibi moræ sim, pluribus disputare nolo. Verum me adhuc moratur heic lex illa Tribunicia, qua leges R. exolevisse Ictus scribit, de qua variant eruditi Interpretes. Qui sibi persuadent, leges omnes Regias Tribunicia lege abrogatas, non idem sentiunt de Auctore legis Tribuniciæ. Sunt, qui malunt cum Goveano *Var.* 1.22. Tribuniciam legem fuisse legem Terentillam a C. Terentillo Arsa Tribuno Pleb. latam. Sed non desunt alii, qui putant, Tribuniciam hanc legem Tribunum quemdam Pleb. tulisse, ad quem referunt causam, cur Tribunicia dicta sit. At quantum hi omnes a vero distent, modo excipe ab ætate legis Terentillæ, ac Tribuniciæ ipsius dignitatis. Et quidem quod Lex Terentilla anno CCCXCIII. lata est, nempe post annos a proscriptis Regibus XLIX. non potest eadem cum Lege Tri-

Tribunicia Pomponii convenire, quandoquidem is continuo post ejectos Reges Leges Regias *exolevisse* ait. Immo veri speciem habere minime potest, Regias leges stetisse XLIX. annorum spatio, post id vero temporis spatium abrogatas. Idem porro probat, legem illam nequidem a Tribuno aliquo ferri potuisse; nam anno a pulsis Regibus decimo septimo Plebeius ille Magistratus Romæ institutus fuit. Quamvis equidem a Tribunis ejus legis originem abdicarem, etiamsi continuo post exactos Reges creati fuissent, cum non fuisset a sola Plebe de exigendis Regibus cavendum. Quæ cum ita sint, hac in re vel Schubartum audiendum esse puto, modo istiusmodi lex sit admittenda, vel Heineccium: quorum primus in *De Fatis Jurisprudentiæ Romanæ Exercitat. II.* Legem Tribuniciam a Tribubus dictam opinatur, alter in *Historia Juris Romani cap.* 2. a Junio Bruto Tribuno Celerum. Itaque constare illud jam videtur lege Tribunicia, sive eam dicas a Tribubus latam, sive a Tribuno Celerum, leges Regias *exolevis-*

leviſſe. At rectiſſime heic obiicies, eccur *exoleverunt*, vel potius abrogatæ ſunt, cum eas exactis Regibus ſtetiſſe paulo ſupra a me dictum ſit?

§. X. Vt rem hanc pleniſſime noſcas, advertas quæſo verba illa ejusdem Pomponii, quæ *Tò exoleverunt* ſequuntur: *Iterumque cæpit*, inquit Ictus, *Pop. Rom. incerto magis Jure*, & *conſuetudine ali*, *quam per latam legem*. Cave Pomponium ita ſcribentem intelligas ita, ut nullo Jure uſum Populum Romanum ſentias poſt deturbatos Reges; quis enim unquam vidit Populum exlegem? Tu igitur habe, Pomponium ſignificaſſe, Pop. Rom. odio Regum legibus Regiis uſum non tamquam Jure ſcripto, ſed tamquam veteri majorum more. Quoniam vero leges, quibus deinceps Reſp. Rom. gubernari cæpit, certo nomine carebant, morumque majorum nomen tantum præſeferebant, eæ merito incerto Juri, atque incertæ conſuetudini a Pomponio adſcribuntur. Ad rem Halicarnaſſ. *Antiquit* Rom. Lib. V. *Leges Tullii*, inquit, *de contractibus humanas admodum*, & *populares*, *quas in univer-*

versum Tarquinius sustulerat, revocarunt in usum, scil. ii, qui Reipubl. Roman. præfuerunt ejectis Regibus; & paulo post: *ceteraque omnia secundum priscas consuetudines facere permiserunt*. Atque hinc pleno veluti alveo fluunt, quæ ad sententiam Pomponii rite explicandam omnino faciunt. Nimirum Leges Regum Romanorum Lege Tribunicia tamquam Leges Regias nomine tenus abrogatas primum habes. Quo plane spectant illa verba Pomponii; *exactis Regibus Lege Tribunicia leges omnes hæ* (Regiæ) *exoleverunt*. Sed quia de medio sublatis auctorum nominibus eædem leges Regiæ perstiterunt, id est, quod idem Pomponius dat verbis hisce *iterumque cæpit Pop. Roman. &c.* Nam quidquid jus facit nulla promulgatione vel intrusum, vel probatum, id consuetudo dicitur, quidquid autem antiqui juris a probatione vel populi, vel Senatus pendet, id jus incertum. Quamobrem tantum abesse vides, ut leges ipsæ olim à Regibus latæ vel Pop.Rom. scito fuerint abrogatæ, vel non usu exoleverint, ut permultas a primis Con-

Consulibus confirmatas fuisse, imo et non paucas in XII. Tabb. postea descriptas satis constet.

§. XI. Restat tamen adhuc scrupulus evellendus. An scil. audiendus sit Pomponius, qui incertum id jus Pop. Rom. XX. annis passum scribit? Profecto si temporum recta ratio ineatur, in errorem quoque hac in re Pomponium incidisse sanæ mentis nemo umquam negaverit. Etenim compertum est, inter Leges Regias sublatas, & Leges Decemvirales, a quibus jus scriptum Romanum Rep. stante originem traxit, prope sexaginta annos intercessisse. Me tamen non fugit, nonnullos Juris Civilis Interpretes culpare Librarios. Sic Charondas in Vet. Cod. MS. quem ad manus habuit, legit LX. Contra vero Cornelius Van-Bynkersoek in *Prætermissis ad L. 2. De O. I.* & Heinneccius opinantur, Librarium pro *VIginta* viginti descripsisse nota numerica VI. pro duabus Litteris accepta. Certe si tu mavis, omnem erroris notam a Pomponio avertere, Amanuensium ignaviæ eam addicito, vel quod XX. pro LX. acce-

perunt, uti visum Charondæ, aliisque, vel quod notam numeralem VI. duas litteras complecti falso crediderunt. Quod plane non est, cur mireris, cum certum exploratumque sit, mendis plurimis veterum Scriptorum loca Librariorum ignavia etiamnum scatere.

§. XII. Per id vero tempus, quo incertum fuit Jus post Reges pulsos, Resp. Rom. nonnullis seditionibus conflictata. Quamvis enim sub Libertatis initium Jura, omniaque insignia consules tenuerunt, tamen cum sua auctoritate abuti cæperint, Plebs primum in eos, tum in Patres quoque incensa, secessione tandem in Sacrum Montem facta, obtinuit, ut sibi sui Magistratus essent Sacrosancti, qui Tribuni Plebis appellati Anno V. C. CCLX. Id quod revera non tantum extinguendis odiis, quam acerbius ciendis, fovendisque valuit. Eccui ignotum, post infestas de Lege Agraria concertationes Anno V. C. CCXC. Terentium Arsam Tribunum Plebis eo venisse, ut rogationem tulerit de minuenda Consulum potestate, & Quinqueviris creandis, qui Leges

ges de consulari Potestate describerent. Vt quod Populus in se jus decrevisset, eo consules uterentur. Verum res hæc Patribus invisa per decennium distracta; Donec A. V. C. CCC Sctum factum, Auctore Tito Romilio Viro Consulari, quod Plebiscito confirmatum, rogante Sicinio Trib. Plebis, ut peregrinæ Leges Romam inferrentur, Vt scilicet animi Plebeiorum, & Patriciorum componerentur, quod illi Leges a Patribus, hi a Tribunis latas pati nollent. Atque huc confer Livium, qui *Lib. III. cap.* 13. in hunc modum rem paucis enarrat: *Anno V. C. CCC missi Legati Athenas Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, Servius Sulpitius Camerinus, jussique inclytas Solonis leges describere, & aliarum Græciæ Civitatum Instituta, mores, Juraque noscere*. Habes jam tres legatos in Græciam missos, ut Græcorum leges describerentur. An vero recte scripserit Pomponius, qui non tres, sed decem legatos in Græciam missos ait, non est cur quæras. Sane in errorem lapsus est Ictus, quandoquidem tres legatos in Græciam ivisse Historici omnes

rerum Rom. affirmant. §.XIII.

§. XIII. Anno V. C. CCCII. rediere Romam legati cum Peregrinis Legibus Solonis potissimum, & Lycurgi Athenis, & Lacedemone petitis. Atqui ut ad ingenia, ac mores Romanorum componerentur, Anno CCCIII. creati Decemviri Legibus scribendis, quorum numero fuere tres, qui Athenas ierant, operam suam accomodante Hermodoro Ephesio Exsule Græci Juris scientissimo, quem Pomponius *l.* 2. §. 4. *auctorem fuisse Decemviris ferendarum legum* scribit. Horum opera primum decem Tabulæ prodierunt, quæ centuriatis comitiis perlatæ, tum vero aliæ duæ additæ, cum nonnullas leges in illis decem deesse visum fuerit, quas necesse erat omnino statuere. Atque hæ sunt XII. Tabulæ, quæ omnis publici, privatique Juris fons habentur, & a Tullio *I. de Orat. omnibus Philosophorum Bibliothecis* anteponuntur. Ne tamen in tua commoda heic peccem, accipe jam discriminatim, quæ in unaquaque Tabula fuerunt a Decemviris comprehensa pro eo scil. ordine, in quem Tabulas Decemvirales redegit V. Cl. Jacobus Gothofredus.

§. XIV.

§.XIV. I. Tabula Judiciorum habendorum ordinem constituebat. II. de Judiciis prorogandis, Furibusque puniendis agebat. III. de Re usuraria, & rei Judicatæ *executione*. IV. dabat Jura Patriæ Potestatis. V. Jura Tutelarum, Testamentorum, Successionum ab intestato, & Hereditatis divisionem VI. Venditiones, Usucapiones, Juraque repudiorum VII. damna illata, injuriasque, nec non delicta alia, falsos testes, homicidas, Tutorumque fraudes coercebat. VIII. Jura prædiorum Urbanorum, rusticorumque definiebat. IX. totum fere jus Publicum complectebatur; Nam de seditiosorum pœnis, judicumque pecunia corruptorum tota erat, atque Civis Romani Judicium nonnisi comitiis centuriatis expediri cavebat. X. Jura Sacrorum jurisquejurandi proponebat. XI. Jura connubiorum, vimque postremarum legum. XII. De calumnioso, falsoque Judicio, deque servo noxæ dedendo agebat. En quæ in corpore LL. XII. Tabb. Decemviri complexi fuere.

§. XV. Sed quoniam Leges Decemvirales *eleganti*, *atque absoluta verborum*

rum brevitate scriptæ, uti Cæcilius Ictus loquitur apud Gellium *Noctium Atticarum Lib. XX. cap.* 1. Jurisprudentes viri eas interpretari cæperunt. Quo nomine venire heic puta Patricios, qui jam inde a Romulo Leges interpretandi munus sibi addixerunt. Hinc cum lites suas agentibus, tum Judicibus sive forum obambulantes, sive domi considentes voce scriptove de Jure respondebant. Si quid autem difficillimum explicatu, vel perobscurum occurrebat, ita ut dissentirent, vel in ipso foro, vel uti scholiastes Juvenalis *ad Satyr. III. v.* 128. juxta Apollinis templum conveniebant de recte interpretando Jure disceptaturi. Hujusmodi forensium Disputationum exempla exstant Crassi, & Galbæ apud Ciceronem *de Orat.* 1. 56. nec non Scævolæ, Manilii, & Bruti apud eumdem *De Finibus* 1. 4. Quod singuli proponebant, Responsum, quod conventus, Decretum dictum. Sed Responsorum æque ac Decretorum haud magna fuit auctoritas Rep. libera stante, siquidem sæpissime ab oratoribus evertebantur: *Si quid vero post magnas varie-*

 tates

tates obtinuerat l. ult. ff. pro Legato l. 52. *ff. de O. & A. l.* 55. §.1. *de Legat.* 2. id juris ſcripti, vel receptæ ſententiæ nomine veniebat. Et hoc quidem ſenſu tum Icti a Pomponio vocantur Juris auctores, tum ipſas Prudentum interpretationes poſt diſputationes uſu fori probatas leges non ſcriptas, mores, conſuetudines ſcriptores Romani nominarunt. Sic Cicero *de Invent.* II. 54. iſtiuſmodi jus appellat *jus conſuetudinis, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobavit*. Atque his lux affulget Pomponii verbis §. 5. & 6. ubi ait, *Legibus XII. Tabb. latis cæpiſſe fori diſputationem..... eodem pene tempore, quo leges ipſæ, natum civile Jus ex interpretatione Prudentum*. Nimirum tanti haberi cæperunt Prudentum Interpretationes conſenſu receptæ, poſtquam LL. Decemvirales prodierunt, ut *Juris Civilis* nomen obtinuerint. Quod quidem diu retinuiſſe ne ignores. Appoſite Cicero pro *Cæcinna Cap.* XXVI. Jus Civile, puta quod ex Prudentum conſenſu enatum, legibus opponit. At ne ſingulorum ſcriptorum nomina recitem,

 mihi

mihi duco, Theophilum præ ceteris heic laudare, qui §. 2. *Institut. De officio Jud.* Jus Civile fuisse τὴν τῶν σοφῶν νομοθεσίαν præclare fatetur.

§. XVI. Id autem omne factum a Prudentibus, ut verba legum Decemviralium pro arbitrio suo, prout occasio daret, ad non expressas species producerent. Sed post Leges XII. Tab. latas præter hasce Juris interpretationes in lucem prodiere Legis Actiones, quibus est, cur omnino detegas Patriciorum in Plebeios dominandi ferocem libidinem. Ac sane Patricii ipsi, qui uti perbelle Heinneccius *Lib. I. Historiæ Juris Romani cap.* 111. *sibi Jurisprudentiam obtentu Juris Patronatus tamquam gentilem possessionem vindicabant*, imo et Pontifices, qui tum e Patriciis fuere, actiones legis protulerunt, hoc est certas, & solemnes formulas, quibus inter se homines disceptarent. Atque has Patres *in latenti retinere* studebant. Quamobrem (ad rem Cicero *pro Muræna cap. XI.*) *erant in magna potentia, qui consulebantur, a quibus etiam Dies tamquam a Chaldæis, petebantur*; Neque

que hanc artem ; ut idem ſcribit (*De Orat.* I. 41.) pervulgari voluerunt *obtinendæ* , *atque augendæ Potentiæ ſuæ cauſſa*. Sed Livius , qui fuſe narrat, qua arte Patricii, id omne per aliquod tempus ſervare ſtuduerunt, quæque Plebs Patriciorum fraude concitata objecerit , diſerte ait (Lib. 9. cap. 46.) *Jus Civile in Pontificum penetralibus repoſitum faſtoſque , ex quibus quando lege agi poſſet*, *ſciretur*, *plebi ante Cn. Flavium ignotos fuiſſe* . Etenim compertum eſt , Cn. Flavium Anno ab V.C.CCCCXLIX. primum formulas haſce cum Faſtis ab Appio Claudo Cæco in Codicem collectas publici Juris feciſſe . Quo munere tantam iniiſſe a Populo Romano gratiam fertur , ut Ædilis creatus fuerit . Et non immerito quidem . Næ is non tantum edidit formulas illas , quarum notitia per fraudem Plebeii a Patriciis abſtinebantur ; verum etiam id non ſine labore improbo præſtare debuit ; Nam operam ſuam locare ei neceſſe fuit Appio Claudo in deſcribendis Faſtis Pontificiis , ut in eum modum ſubripere tantum opus optimo Gentis Romanæ

manæ sibi daretur¹. Adisis Sibr. Siccamam apud Græv. *Thesaur. Antiquit. Rom. Tom. VIII.* qui pereleganter hujusmodi fastos edidit, illustravitque.

§. XVII. Verum Flavianus is Codex Patriciorum animos ita turbavit, ut mox nova edere cogitarint, quæ Plebeis difficilius captu Jus Decemvirale redderent. Tales fuere novæ aliæ obscuriores formulæ, quas notis consignarunt, seu certis signis, quibus unum, plurave vocabula involverent, ne vel facile in vulgus deinceps manarent. Harum notarum si vis exempla, adi præter Joh. Nicolai in *De Siclis Veterum*, Cujacium *Observat. XII.* 40. Grævium ad Ciceronem pro *Muræna cap. XI.* & Dionysium Gothofredum in *Auctar. Ling. Latinæ*. Atqui non diu quid Juris ejusmodi formulæ præstarent, ignotum Pop. Romano fuit. Nam circa annum ab V.C.DLIII. Sex. Ælius Catus peculiari Codice easdem publici Juris fecit, ne amplius rixis rumoribusque publica tranquillitas vexaretur, quibus plus nimio Patricii diu ansam dederunt.

§. XVIII. En igitur aperte vides, quid hisce

hisce formulis (potius ad vim Populo Romano inferendam comparatis, quam ad interpretationem Juris Decemviralis) Patricii effecerunt, quidque profecerunt. Sane melius duxissent, si leges ipsas Decemvirales tot nodis minime implicassent; ita enim commodo, ac tranquillitati Reip. consuluissent. Est tamen, cur heic doleas, quod Codices Flavianum, & Ælianum longa ætas nobis invidit: maximum enim Jurisprudentiæ specimen ad antiquas leges Romanas pernoscendas aptissimum duo illi Codices nobis offerrent. Atqui maxime dolendum illud quoque nobis est, quod integrum Corpus Juris Decemviralis omnino desit, quemadmodum Decemviri prodiderunt. Et quamvis diu Leges Decemvirales Populus Romanus usu probarit, tamen exterarum gentium impetu in Romanum Imperium facto adeo defecerunt, ut earum exemplaria auro contra nec argento permutanda omnino perierint. Id quod ut equidem confirmem, ducor ex hoc, quod Sex. Ælius, L. Acilius, L. Ælius, aliique veteres Icti fusissimos commentarios ad Leges XII. Tab.

conscripserunt non sine maxima utilitate eorum, quorum erat Juris, ac Judiciorum partes scire. Adi, si lubet, Schubartum *De Fatis Jurisprud. Rom. Exercit. II.* Ev. Ottonem *Præfat. Tom. III. Thesaur. Jur.* & *De Servio Sulpicio Cap. VII.* Neque contrarium suadet Lex Æbutia, de qua Gellius *Noctium Atticar. Lib. XVI. Cap. X.* ex qua male deducunt quidam leges Decemvirales abrogatas, cum potius dicendum sit quædam tantummodo earumdem capita abrogata, uti sapienter Paulus Manutius in *De Legibus Cap. XVI.* quod ex iis quædam recentioribus Pop. Rom. moribus convenire nequaquam viderentur. Legatur Abr. Wielingius *De Furto per Lanc. & Lic. concepto*, qui rem hanc doctissime tractat. Hinc maximam laudem merentur, qui cum in ceteris rebus litterariis illustrandis, tum vel maxime in colligendis Legibus Decemviralibus, atque interpretandis barbarie deleta operam omnem suam contulerunt. Horum in numero habe Justum Lipsium, Franciscum Pithæum, Franc. Balduinum, Franc. Hotomanum, Jac. Ræuardum, Ant.

Ant. Auguſtinum, Theodorum Marcilium, Paulum Merulam, Pard. Prateium, Contium, Charondam, Ritthersfuſium, Aymarum Rivallium, Sylvium, Ric. Vitum, noſtrum Vincentium Gravinam alioſque. Sed doctiorum quidem judicio omnem induſtriam, operamque vicit Cl. Jacobus Gothofredus, qui non ſolum colligere ſtuduit Legum Decemviralium fragmenta, verum etiam leges ipſas mira arte primus omnium in XII. Tabb. digeſſit, ut ferme Integritati ſuæ integrum Jus XII. Tabb. reſtituiſſe videatur.

§. XIX. Ex his quæ hactenus dicta ſunt, clare noſcis, poſt Leges XII. Tabb. latas Civile Jus magnum incrementum accepiſſe Diſputationibus Ictorum, Legiſque actionibus, quibus contenderunt Patricii tum nonnullis legibus Decemviralibus (quod fortaſſe difficiles captu eſſent) lucem affundere, tum, quod caput eſt, *in magna potentia eſſe*, uti ſcribit Cicero. Sed præter haſce cauſas, quatuor alias modo excipe, quibus per hæc tempora Jus Romanum mirum in modum crevit. Prima fuere leges ſingu-

lares

lares pro variis Reip. temporibus a Populo jussæ. Secunda Plebiscita. Tertia Prætorum edicta. Quarta ICti ipsi. Atque his causis si addas duas alias, puta Disputationem Fori, & Legis actiones, de quibus sermonem paulo supra habui, habebis sex causas illas, quibus Republica florente Civile Jus maximum incrementum accepisse docuit Jac. Gothofredus *Hist. Jur. c.* 2. Sed quæ ad quatuor illas causas pertinent, modo conferam.

§. XX. Et quod quidem ad leges attinet, nolim nescias, leges vel ab ipsis Vrbis primordiis fuisse, quibus, præter magistratuum creationem, legum jussa, & belli pacisque arbitrium cuncta Senatui permissa auctor est Dionys-Halicarnas. *Lib. VI.* At creatis Tribunis Plebis non parum imminuta Patrum potestas Tribunorum Jure intercedendi. Nam Tribunis id Juris concessum, ut Scta sua intercessione infirmarent per verbum *Veto*. Quare ad Senatum tantum pertinere cæpit, *auctoritatem* interponere, cujus ea vis fuit, Livio teste *Hist. Rom. Lib.I. c.* 17. ut nihil nisi consulto Senatu ad

Populum ferretur. Itaque Tribunis dabatur Senatorum placitis intercedere, antequam lex Pop. suffragiis juberetur. Me tamen non latet, intercedendi facultatem istam Syllam Dictatorem Anno V. C. DCLXXIII. Tribunis ademisse. Sed eamdem porro Tribunis restituit Anno V.C.DCLXXXIII. Pompeius. Ubi tamen ad Cæsares Imperium transiit, ad Senatum cuncta rejecta fuere, quæ juberi antea a Populo consueverant. Idque sub Tiberio primum factum narrat Tacitus *Annal. lib.* 1. ubi ait, *tum primum e campo comitia ad Patres translata.* Sed cave credas Pomponio *l.2. de O. I.* cui adhæret quoque assentator Tribonianus, qui id ob auctam Pop. multitudinem, quæ in unum locum convenire non posset, factum vult. Nam ipsi Cæsares callide id instituerunt, qui ad Senatum, quem sibi habebant obnoxium, omnia collata voluerunt. Hinc leges a Senatu creari cæperunt, non quod leges a Senatu Jure suo fieri possent (ea enim potestas jam erat ad Principem delata) sed quia Imperatores Regiam Potestatem dissimulantes Jus, quod sibi pla-

placeret, a Senatu condi permiserunt. Atque hoc sensu Ulp. l. 9. *de Legib.* ait: *non ambigitur Senatum Jus facere posse*. Quomodo autem apud Romanos olim stante Rep. leges ferebantur, agere nunc piget, cum properandum mihi sit ad utiliora. Vide, si cupido est, Samuelem Pitiscum in *Lex. Antiquit. Roman.* & Heinneccium in *Antiquitat. ad Titulum De Jure Nat. Gent.* & *Civil.* Sat mihi modo est, quod ad rem facit, attigisse.

§. XXI. Plebiscita autem quæ Tributis comitiis sola plebs plebeio Magistratu rogante constituebat, primum quidem solam Plebem obligarunt, deinde Plebeiis ægre ferentibus, quod leges centuriatis comitiis latæ, in quibus Patricii prævalerent, universos cives attingerent, cum contra plebiscita solam Plebem tenerent, lege Horatia A. V. C. CCCVI. a L. Valerio, & M. Horatio Coss. lata legibus exæquata sunt Plebiscita, ut quod plebs jussisset, omnis Pop. servaret. Huic accesserunt postmodum Lex Publicia, & Lex Hortensia, quarum auctores fuerunt Q. Publi-

blilius Philo Anno CCCCIV. et Q. Hortensius Dictatores, quibus cautum quoque fuit, ut quod plebs tributim scisceret, Patricios, et Senatores teneret. Est tamen, cur heic reprehendas Accursium, qui Hortensiam legem ab Hortensio Rege, nescio quo, latam ait: certe Livius *Epit.* 11. aperte dat, Q. Hortensium Dictatorem ejus legis auctorem fuisse, rogatamque ab Hortensio, quum Plebs propter æs alienum post varias seditiones secessisset in Janiculum. Ceterum post Hortensiam demum factum, ut non solum plebiscita tamquam leges omnino haberi, verum etiam legum nomine laudari cœperint.. Hujusmodi sunt præ ceteris Aquilia de *Damno Injuria dato*, Cincia *de Donis*, *&* *Muneribus*, quas docte illustrarunt Fr. Balduinus, Gerard. Noodt, & Frid. Brummerus, aliæque.

§. XXII. Nunc de Prætorum Edictis. Ac sane Prætores inito Magistratu in albo edicebant Jus, quod essent dicturi toto anno. Quod, ut rite facerent, sub auspicia Magistratus in concionem adscendere soliti, & pro rostris habita more majorum oratione, quæ essent in

Jure dicundo obſervaturi edicebant. Nimirum per Præconem primum Edictum domi compoſitum recitari, tum vero in Albo publice proponi jubebant. Idque colligitur ex Cicerone *de Finib.* II. 22. & præclarius ex Plauto in *Prologo Pænuli*; Ibi enim Prologus Comediæ, qui ſe Magiſtratum, vel Imperatorem Hiſtrionicum fingit, primum Præconem ita exſcitat: *Exſurge Præco, fac Populo audientiam: Jam dudum expecto, ſi tuum officium ſcias.* Deinde recitat ipſum edictum fictitium: *Bonum factum'ſt, edicta ut ſervetis mea.* Eoque finito ſubijcit: *Hæc imperata quæ ſunt, pro imperio hiſtrico, Bonum hercle factum, pro ſe quiſque ut meminerit.* Atque hæc Prætorum edicta, quæ ſingulis annis innovabantur, jus Prætorium conſtituebant, quod etiam dictum eſt Honorarium, eo quod Magiſtratus a Romanis *Honores* vocabantur; Nam alios præter Prætorem Magiſtratus edicta propoſuiſſe omnino conſtat. De Ædilibus teſtatur Juſtinus, & Titulus ipſe D. de *Ædilitio Edicto*: de Cenſoribus Gellius *lib. XV. cap.* 11: de Tribunis Tullius in *Verr. III.* de Cen-

Cenforibus idem Cicero pluribus locis. Neque Vrbani folum, fed & Provinciales Magiftratus pro fuo quifque Jure edixerunt. Adi Ciceronem 1. *in Verrem* 43. *Lib.* VI. *ad Attic.* 1. *lib.III. epift. Famil.* 8. quibus in locis Provincialia quædam edicta meminit. Quamquam non defunt, qui proprie a Prætoribus dictum exiftimant Jus honorarium, quia Prætor *Vir honoratus* appellabatur. Edicta autem fua Prætores pro arbitrio intra annum mutare ab initio potuerunt, donec primum SCto in Curia Hoftilia facto Coff. L. Æmilio Paullo, & C. Licinio Craffo, tum Plebifcito rogante C. Cornelio Trib. Pleb. fancitum eft, ut fecundum edictum toto anni tempore Prætores jus dicerent, nec id mutare liceret. Velim tamen hic animadvertas, Prætorum edicta annua ftante Republica perpetuitatem quamdam affumfiffe, ubi fcil. fucceffores edicta Superiorum Magiftratuum fua auctoritate proponebant. Sed demum Adriani juffu Salvius Julianus peculiari SCto ex omnibus Prætorum edictis unum compofuit Imperatoris auctoritate perpetuo duraturum, quod Edi-

ctum Perpetuum est appellatum, quodque in Codices Juris illatum est, & vim legis habet. Verum de re hac infra. Hæc omnia cum ita teneas, reliquum modo est, ut tibi nunc explicem, quid tot edictis præstare unquam Prætores voluerunt. Id, ut paucis fidem meam liberem, Papiniani verbis mox accipe: *jus Prætorium* (ait ICtus *l.* 7. §. 1. *D. de Justitia, & Jure*) *adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam introductum*. Sed nolim, ex his verbis deducas, Prætores pro sua auctoritate Jus civile corrigere, emendare potuisse; id enim negabatur omnino cuilibet Magistratui. Habe, Prætores id non sine arte effecisse. Nam novis vocabulis, exceptionibus, et fictionibus suis id potissimum studuerunt, ut legum civilium asperitas quandoque emolliretur, ac novæ etiam leges prodirent, ubi oporteret, si leges ipsæ deficerent. Quæ omnia ad Reipublicæ tranquillitatem servandam comparata vulgo ajunt. Qua in re maxime præstitisse Prætores, docte demonstrat Vir Cl. Gottl. Kortte in *Vindiciis*

Præ-

Prætoris, *ac Juris Honorarii* editis Lipsiæ. Ergo haud immerito edicta ipsa Leges appellatæ. Tametsi minime nescius sis velim, hoc unum discrimen interfuisse inter leges, atque Edicta, quod Edicta nullam verborum sollemnitatem, nec rigorem ullum præseferrent, leges vero & sollemnitate verborum descriptæ, & rigoris multum habuerunt.

§. XXIII. Huc ad ultimum confer Ictos. Et quidem Romæ ab antiquissimis usque temporibus tamquam ars præcipua maximi habita Jurisprudentia, quique eam profiterentur, vocati sunt Icti, eratque illis summis honoribus aditus, non secus ac Oratoribus, Ducibusque. Horum alii Jus publice profitebantur, alii Judicibus, aliisve de Jure consulentibus rescribebant. Sane moris primum fuit, ut prudentes, jurisque periti viri de vi legum inter se disceptantes populo, quid a majore parte probatum esset, traderent. Quo Jure plane potissimum usus fori, & Jurisprudentum auctoritas continebatur. Atque id primum quidem tacito consensu obtinuit, mox scriptis etiam eorum sen-

tentiæ præhabitis disputationibus firmatæ consignari cœperunt; Unde *Libri Disputationum* enati, quos memorant Vlpianus, Venuleius, aliique Icti. Sed non eadem fuit pro variis Reip. temporibus Jurisprudentiæ addiscendæ ratio, Ictorumque auctoritas, quippe quæ per diversos veluti gradus crevit. Quorum primus ab illatis Legibus XII. Tabb ferme usque ad ætatem M. Tullii processit: Secundus usque ad Augusti Imperium: Tertius usque ad Justinianum: Quartus a Justiniano cœpit, atque ad sequentia tempora productus est. Nunc vero de duplici fato Jurisprudentiæ Rom. tantum dicam, nam hæc duo fata proprie ad hanc ætatem Juris Romani, qua de agimus, spectant. Ut igitur a primo ordiar, teneas volo a bellorum Punicorum temporibus, quibus primum Romani elegantioribus litteris, optimarumque artium studiis expoliri cœperunt, adolescentes Juris studiosos, postquam rite Græcam linguam, Grammaticam, Rhetoricam, et Philosophiam potissimum Stoicam didicissent, assumpta virili toga à viro quodam Illustri in Forum

rum deductos dicto die non sine sollemnitate magna eos comitante clientum turba. Vide Gronovium *Obs.* 11. 21. Id facere sub initium unicuique permissum fuit; neque enim tum facultatem de Jure respondendi a Populo, vel Senatu impetrari opus erat. Si qui autem in re tanta omnem sibi laudem, existimationemque comparassent, nulla eis diei hora vacabat, quod sc. immensus ad eosdem Clientum numerus veniebat, ut quique de suis negotiis eosdem consulerent. Idque primum expedivisse domi, vivaque voce compertum est. Causæ autem, quibus Clientes adire Ictos legimus, tot fuerunt, quot novæ controversiæ, quæ inter homines agitari queunt, producere valebant. Hinc compertum habeo initio Jus Romanum nonnisi eos didicisse, qui Ictos consulerent, a quibus quid juris tantum pro rebus suis expediendis excipiebant. Ita rem tractasse legimus vetustissimos illos Ictos Papirium, Appium Claudium, Sempronium, qui σόφος est appellatus, C. Scipionem Nasicam, & Q. Mucium. Sed rem omnem turbavit Tiberius Coruncanius Vir Con-

ſularis, & primus e Plebe Pontifex Maximus, qui primus omnium publice Jus profeſſus eſt. Appoſite Ictus l. 2. de O. I. *Ante hunc* (nempe Coruncanium) *cu omnibus, qui ſcientiam nacti ſunt, publice profeſſum neminem traditur: ceteri autem ad hunc in latenti Jus civile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus potius, quam diſcere volentibus ſe præſtabant*. Atque hanc ob cauſam variavit Juriſprudentiæ Romanæ fatum alterum circa M. Tullii tempora. Nam Icti, qui Coruncanio ſucceſſerunt, partim publice Jus profeſſi ſunt, veluti Sex. & P. Ælii Fratres, P. Atilius, Balbus Lucillius, Aquillius Gallus, Servius Sulpicius, partim Jus civile ſcriptis divulgarunt. Huc ſpectant Sex. Ælii *Tripartita*, quæ veluti fuere *Juris civilis cunabula*, P. Mucii Bruti, & Manlii *Jus civile*, & Q. Mucii *Decem & octo Libri Juris Civilis*, quibus regulas omnes Juris Romani in artem redegit. Exinde factum ne mireris, ut non nobilibus tantum, ſed plebeis æque ac peregrinis Jus addiſcere, immo etiam publice profiteri proprium fuerit. Sic Juvenalis Sat. VIII. . . . *ta-*

. . . tamen ima Plebe Quiritem
Facundum invenies, solet hic defendere causas.
Nobilis indocti: veniet de Plebe togata,
Qui Juris nodos, & Legum ænigmata solvit.

Ceterum hæ prudentum sententiæ ad Cæsares usque erant privatæ hominum opiniones, contra quas sæpe fuit judicatum, nec proinde vim Juris habebant nisi utentium moribus probarentur. En igitur quid præstiterunt ICti ad Augustum usque. Equidem puto Juris consultorum sententias, et Responsa ad Cæsares usque æquitatem, & necessitatem tantum commendasse.

§. XXIV. Habes jam causas cur mirum in modum Jurisprudentia Romana creverit ad Cæsares usque. Sat enim incrementum longe maximum exhibent leges Regiæ, quæ post ejectos Reges in morem abierunt præter alias, quas ferri Reip. servandæ causa sub initium oportuit, Leges Decemvirales, Interpretationesque prudentum, Legis actiones, ex quibus prodiere Codices Ælianus,

nus, & Flavianus. His adde sexcenta Magistratuum edicta, Prudentum Responsa, Leges, Plebiscita, ac Scta, quæ quidem in immanem ferme numerum excreverunt. Hinc vel ipsis ruentis Libertatis temporibus non paucis opportunum videri cœpit, tot leges temporum, ac rerum varietate dispersas in unum corpus conferre. Aiunt vulgo tresviros hosce tanto operi mentem admovisse, Pompeium, Cæsarem, & Ciceronem. Sic Cl. Struvius in *Historia Juris Romani cap.* 2. testimonio Dionis Cassii *Lib. XL.* & Isidori *Etymol.* v. 1. probat, Pompeium leges omnes Romanas in Libros redigere primum omnium statuisse, *obtrectatorumque metu* perficere rem non potuisse. Idem consilium C. Julium Cæsarem cœpisse aperte testatur Suetonius, *quem jus civile*, ait in *Cæsar. cap. XLIV. ad certum modum redigere, atque ex immensa, diffusaque legum copia optima quæque, ac necessaria in paucissimos conferre Libros voluisse.* At eiusdem Cæsaris inopinata morte neque initium neque finem tanto operi imponi potuisse tenent critici Interpretes. De Cicerone autem am-

ambigere non est, si consulantur duo loca nempe Quinctiliani *Institut. Orat. XII.* 3. et Auli Gellii *Noct. Atticar.* 1. 22.: *M. Tullius*, verba sunt Quinctiliani, *non modo inter agendum numquam est destitutus scientia Juris, sed etiam componere aliqua de eo cœperat*. Contra Gellius præclarius rem explicat, quippe qui refert quædam verba eiusdem Tullii ex eius Libro deprompta, cui titulus *De Jure Civili in artem redigendo*. Vtinam vero, quæ in mentem venerunt Pompeio et Cæsari lucem vidissent, vel saltem temporum iniuria non intercidisset Liber Tullii, si fidem præstes Quinctiliano & Gellio. Certe Codices eiusmodi nobis nunc præberent, quidquid elegantius, concinnius, sanctiusq. creari potuit ab antiquis Legislatoribus Romanis ad Reip. Jura rite instituenda. Quinimmo *non versaretur*, uti docte animadvertit Struvius in *Historia Juris*, *in ore doctorum virorum tristis querela fractum nobis, & lacerum, & enerve Juris corpus esse relictum*.

CA-

CAPUT III.

De Tertia Juris Romani Ætate sub Imperatoribus.

§. XXV. Jam ad ætatem Imperatoriam venimus. Et quidem sub Imperatoribus tot leges novæ prodierunt, ut latissimum incrementum Romanæ leges acceperint. Sed ne sine methodo incrementi huius caussas exponam, quatuor eas fuisse aio, duce Gothofredo, *Hist. Juris cap.* 3. nempe I. leges nonnullas sub initia Imperii ad Populum veteri more latas. II. Jurisconsultos. III. Senatusconsulta. IV. Edictum Perpetuum. De his caussis mox dicam, quippe quæ tertiam Juris Romani ætatem complectuntur, de qua sermo jam habendus est.

§. XXVI. Ac primum postquam Populi Romani potestas in Principem confluxit, legum condendarum facultas præcipue ad Imperatores transiit. Nam multa in Romano Jure mutata, correcta, & amplificata fuere legibus per Imperatores subinde promulgatis. Nonnulli volunt

ſunt facultatem hanc ad Imperatores ab initio pertinuiſſe Lege Regia, qua tranſlatum fuiſſe ajunt a Populo Romano ad Principem Jus condendi leges, ita tamen ut apud Populum eſſe ullum deſierit. Sed quantum id a vero abeſt, duo hæc, quæ ſequuntur, luculentiſſime demonſtrant. Et ſane nullam Legem Regiam rogatam fuiſſe, eſt cur probes I. quod eam graviſſimi Romanarum rerum Hiſtorici non memorent II. ex nomine. Quis enim neſcit, Romanos jam inde ab exactis Regibus Regium Nomen adeo reformidaſſe, ut vere dixerit Scipio apud Livium *Lib. XXXVII. Regium nomen alibi magnum, Romæ intolerandum?* Hinc colligere eſt, non ob aliam cauſam diſputaſſe de Legis Regiæ Ætate ad nauſeam uſque eruditos Juris interpretes, quod ſc. ejus Auctor omnino ignoretur. Vulteius eam repetit a Regio Jure Samuelis. Hotomanus & Balduinus Legem hanc regiam fuiſſe ajunt eamdem, quam Romulus tulit ſub initium Romæ. Alii alia opinati ſunt. Quare opportunum viſum Martino Schoockio *Diatriba De Lege Regia Triboniani*, & J. Vincentio Gravinæ

vinæ *De Rom. Imperio* affirmare, eam in Triboniani cerebro natam. Adi, si cupido est, Huberum *Obs. Lib.I.* fuse contra Shoockium disputantem, & Orationes, quæ de hac eadem Lege Regia exstant Scipionis Gentilis, Friderici Gronovii, & Gerardi Noodt. Igitur divinari potius videntur, qui facultatem Leges creandi ad Imperatores Lege Regia transiisse scribunt. Verum nonnullos heic contrarium sentire scio, quod Tribonianus aperte §.6. *Instit. De J.N.G. & Civ.* scribat in hunc modum: *Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem; quum Lege Regia, quæ de ejus Imperio lata est, Populus ei, & in eum omne Imperium suum, & potestatem concessit.* Sed aliud verbis hisce Tribonianum (sive mavis Ulpianum, a quo ejusmodi verba Tribonianum mutuatum sibi Regiæ Legis Patroni persuadent) sentire voluisse putant, qui rem critice expendunt. Sane cum nulla fuerit lex Regia, quæ omnem facultatem Pop. Rom. ademerit, immo & sub Principibus jus rogationum, Senatusque consultorum superfuerit, fidem omnem mereri

mi-

mihi videntur, qui docent, Imperatores ipsos ab Augusto usque ita sese gessisse, ut paulatim Regiam potestatem nulla peculiari De Regio Dominatu ad Pop. lata Lege sibi adrogarint. In hanc sententiam hæc me adducunt. Primum quod non ea mens fuit Senatus, Populique Romani rerum omnium summam uni deferre, qui summum, ut in recte instituta Monarchia, imperium haberet. Profecto historici omnes affirmant, Populum Rom. uni Principatum concessisse, ultroque sese in Augusti fidem dedisse, ut corruptis moribus, discordiisque civilibus, quibus jamdiu Resp. conflictata tantum obviam iretur. Apposite Tacitus I. *Ann.* *I.* ait, Augustum *cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub Imperium accepisse*, et I. Annal. 9. *hoc fuisse*, inquit, *discordantis Patriæ remedium, ut ab uno regeretur*. At luculentius Florus IV. 3. *Gratulandum*, inquit, *in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Cæsarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua, atque solertia perculsum undique, & perturbatum ordinavit Imperii*

perii corpus: quod ita haud dubie numquam coire, & consentire potuisses, nisi unius Præsidis nutu, quasi anima, & mente regeretur. Igitur vel luscitiosus quisque videt, Principatum uni delatum, ut tumultus, seditionesque cessarent, quibus nullus finis fuisset, ni ita factum fuisset, non vero Regium Imperium. Id quod eo magis declarat, quod de Caligula refert Suetonius *cap.* 22. *parum abfuisse*, inquit, *quin speciem Principatus in Regni formam mutaret*, quod Principatu Regnum deferre Romani numquam intellexerint. Secundum est, quod Augusto Populus honores pedetentim decrevit, quibus in dies Imperatoria Majestas aucta, ut singulorum Magistratuum auctoritate polleret. Id Dio passim testatur. Sic An. ab V. C. DCCXXIV. Populus potestatem Tribuniciam ei detulit, cavitque, ut ad eum provocare liceret: An. DCCXXVII. Augustum Legibus solvit: Anno DCCXXXI. Augusto concessit, ut Proconsul perpetuus esset, atque in Provinciis omnem exerceret pro arbirio suo Jurisdictionem. Ac demum An. DCCXXXV.

Fa-

facultatem creandi leges concessit. Quo revera ad exstremum gradum honoris Imperatores evecti. Consulatur Dio *Lib. LI. LIII.* & *LIV.* Atque hanc Titulorum seriem ex Decreto Senatus in singulis Imperatoribus repeti consuevisse, imo & augeri luculenter probatur ex Ænea illa Basilicæ Lateranensis Tabula, qua Vespasiano deferuntur dignitates omnes Decessoribus suis concessæ. Ex his omnibus nullam à Pop.Rom.legem Regiam conditam fuisse belle arguitur. Verum si eo res rediit, ut Jura Regiæ Potestatis Romani Imperatores exercuerint, id nonnisi profectum puta ab iisdem causis, quibus Principum potestas a Populo Romano constituta fuit. Nam Tituli illi, quibus augeri cæpit Imperatoria Dignitas, tandem effecerunt, ut magis magisque in dies Principum potestas prævaleret. Nimirum tractu temporis ita adsuevere servitio, Principumque obsequio Romani, ut ferme pristinæ libertatis immemores unius imperium ferre cæperint, tum quia mores ad Monarchiam paulatim accesserunt, tum quia dignitatibus omnia Jura Po-

puli ad se Imperatores traxerunt sublatis quoq. ſucceſſu temporibus ritibus, quibus libertatis Jura ſub initium Imperii ſervari oſtenderunt, ne vindex ullus antiquæ libertatis prodiret, qui novi Imperii origines turbaret. Inde factum, ut moribus Romanorum ad Monarchiam ferendam inſtitutis Ictis, Triboniano puta, aliiſque antiquioribus, quorum libido Principibus aſſentandi longe maxima fuit, crimini porro non datum affirmare Principum placita tamquam leges habenda ex lege Regia, nempe ex moribus, atq. novis inſtitutis ſub Imperatoribus inductis, quibus, quidquid Principi placeret, cæpit legis vim habere. Atque hæc de Lege Regia.

§. XXVII. Itaque cum cæperint ſub initia Imperii Leges condere Imperatores, ingens prodiit conſtitutionum Imperialium numerus, quæ Decreta, Edicta, ac Reſcripta appellatæ fuere, quandoquidem aut decernendo, aut edicendo, aut reſcribendo Principes leges ſuas conſtituere ſibi habuerunt. Vide, quæ de his Legum ab Imper. Rom. conditarum nominibus habet Heineccius ad pluries laud.

Tit.

Tit. *De J.N.G. & Civil.* in *Antiq.* Hinc eas colligere in mentem venit non paucis ejus ætatis Jurisconsultis. Hoc tamen nomine præ ceteris laudantur Julius Paulus, & Papirius Justus, quorum alter edidit *Imperialium Constitutionum* Libros sex, alter *Constitutionum* Libros viginti. Atque hic animadvertere est, tum Paulum, tum Papirium recte Libros nominasse Codices suos, in quos Imperiales constitutiones inserverunt; constat enim, ea ætate κατ' ἐξοχὴν Libros appellari moris fuisse codices illos, in quibus Principum constitutiones colligebantur, de quorum forma vide, quæ docet Schultingius in *Jurisprud. Vet. Ante Justin.* Non defuere tamen alii ICti, qui idem opus aggressi. Sed aut incuria Librariorum, aut temporum iniuria ad manus habere eorumdem Libros nobis minime datum. Quod vero à Constantino usque Jurisconsulti iidem adprime noverunt (qui plane nimio erga Deos suos amore abrepti: perlege Corn. Van-Eckii elegans opus de *Gent.Vet. ICtorum Religione*) Imperatores Romanos novas in dies edere Constitutiones, ut sc. novis legibus vetus illa Jurispruden-

tia emendaretur tot gentilium Imperatorum placitis superstitionem maxime redolentibus compacta, antiquas leges in Codices redigere cæperunt, ne omnino perirent. Id primum omnium præstitisse Gregorium quemdam eruditi Interpretes volunt, qui plane Principum, qui præcesserunt, atq. Hadrianum sunt sequuti Constitutiones descripsit, promulgavitque. Id quod testantur ejusdem Codicis fragmenta, quæ supersunt; Nam recitantur ibidem Constitutiones Antoninorum, Severi, & Caracallæ, Alexandri, Gordiani, Philippi, Valeriani, & Gallieni, Cari, Carini, & Numeriani, denique Diocletiani & Collegarum. Ut mihi videatur rectissime ab Heineccio *Hist. Juris Lib.* 1. *cap. V.* Jacobus Cujacius reprehensus, quod existimaverit, Gregorium ultra Valeriani, & Gallieni tempora non processisse. Quisnam autem fuerit Gregorius iste Gregoriani Codicis Auctor in incerto est. Jacobus Gothofredus in *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1. & Pancirolus *De Clar. Leg. Interpr. Lib.* 1. *cap. 66.* in diversa abeunt. Is Gregorium hunc non alium

suis-

fuisse putat à Gregorio illo, qui sub Constantino circa annum Chr. CCCXXXIV. Præfectus Prætorio fuit, hic vero eumdem Gregorium vixisse ait sub Valente, & Gratiano. At Gothofredo equidem potius assentior, cum constet, sub Constantino tantum floruisse Gregorium quemdam, quem tale opus perfecisse verisimilius mihi sit. Sin autem is, quem hactenus Gregorium nominavi, ab Antonio Augustino ad *Pallent.* 11. 8. & ab Auctore *LL. Mos. & Roman.* 1. 8. Gregorianus appellatur, id te non turbet; Nam si subaudias To *Gregorianus* alterum verbum *Codex*, rectius habebis Gregorianum Codicem, qui a Gregorio Auctore ita nominari potuit, non vero Gregorianum quemdam. Quod demum attinet ad hujus codicis auctoritatem, satis mihi videtur eadem expressa verbis illis Imp. Justiniani Constit. *Summa Reip.* §. 3. *de Justin. Cod. confirm.* quæ hic describere non gravabor: *ut sciant omnes* (hæc sunt Imp. verba) *tam litigatores, quam disertissimi Advocati, nullatenus eis licere de cetero constitutiones ex veteribus tribus Codicibus, quorum jam mentio facta est*

 ... *in*

. . . . *in Judicialibus recitare certaminibus: sed solum eidem nostro Codici insertis Constitutionibus necesse est uti, falsi crimini subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint*. Hæc verba cuivis aperte demonstrant, Codicem Gregorianum licet nulla publica auctoritate susceptum magnam tamen in foro vim habuisse. Atque hæc sunt, quæ habui, quæ tibi dicerem de Codice Gregoriano, cujus corpus si integrum quæris, frustra est, cum fragmenta tantum hujus codicis supersint, quæ post Anianum, cui revera debentur, Sichardum, & Cujacium protulit quoque, illustravitque V. Cl. Ant. Schultingius in *Jurisprudentia Veteri Antejustinianea*.

§. XXVIII. Secutus Gregorium Hermogenianus, qui novo Codice complexus est multas constitutiones Diocletiani, et Maximiani, et successorum usque ad annum Chr. CCCXII. Unde incipit Theodosianus. Atqui Hermogenianus in eo maximam laudem apud omnes Ictos promeritus est, quod ceteras constitutiones Diocletiani, & Maximiani, quas, nescio qua caussa, missas fecit Gre-

Gregorius accurate collegerit. Num vero Hermogenianus ille, qui ſub Alexandro Severo vitam agebat, uti vult Reineſius *ad Inſcript. LXX.* an vero alius Hermogenianus Codicis hujus auctor fuerit, omnino incertum. Mihi tamen Reineſius minime ſuadet. Moveor equidem ex eo, quia Conſtantini ætate Gregorianum Codicem prodiiſſe doctiores viri affirmant. Hinc alius Gregorianus ejus Codicis auctor ſub Conſtantino eſt habendus. Sed quoniam ea ætate plures Hermogenes, & Hermogeniani floruerunt dubium oritur, ac perpetuum manebit, cuinam ex tot Hermogenianis dignitate, & ſapientia præſtantiſſimis ſit is codex tribuendus. Igitur Hermogenianum quendam Conſtantini ætate auctorem Codicis Hermogeniani fuiſſe tene, parum tamen curato ejus Patriam, Natales, ac dignitates inquirere, cum nihil ſit obſcurius, incertiuſque. Quanta autem fuerit Codicis iſtius auctoritas, repete ex iisdem verbis Juſtiniani Imperatoris, quæ paulo ſupra recitavi. Is tamen, qualiſcumque fuit, integer modo non exſtat. Quæ ſuper-

sunt fragmenta, novissime in lucem emisit idem Antonius Schultingius, eaque doctis animadversionibus illustravit. Adi eumdem, si lubet.

§. XXIX. Non desiere porro Imperatores, novas leges condere, quæ excrevere adeo, ut nihil supra. Hinc tanta legum multitudine difficile esse cæpit jus perdiscere, ac secundum leges Judicare, cum leges, ubi multæ sunt, non numero tantum, sed sententiarum varietate soleant eos, qui ad earum studium accedunt, potius implicare, quam ad rectum usum animos hominum rite componere. Id plenissime innotescere cæpit ipsis Imperatoribus. At qui medicinam facere tanto malo primi omnium studuerunt, Theodosius junior, & Valentinianus Impp. fuerunt. Nam constitutione edita anno CCCCXXVI. caverunt, ut Papiniani, Paulli, Caii, Ulpiani, ac Modestini opera, nec non Sabiniani, Juliani, & Marcelli scripta in foro valerent, modo tamen Sabiniani, Juliani, & Marcelli sententiæ ex genuinis Codicibus, in quibus ab auctoribus descriptæ, essent depromptæ.

Ut

Ut ſcilicet pravæ illi litigatorum conſuetudini obviam iretur, qui Scriptorum loca pro arbitrio expungere, ac referre ſolebant ſuis commodis minus juſte indulgentes. Quoniam vero fieri poterat, ut inter ſe tales ICti diſſentirent ſuper eadem re, ad rem hos canones iidem Imperatores inſtituerunt. I. ut ea ſententia prævaleret, quæ à pluribus eſſet probata. II. ut ſi pares numero eſſent ICti, qui idem probarent, ei ſtandum eſſet ſententiæ, cui Papinianus ſuffragaretur. Verum hæc tanti non eſſe deinceps viſa fuere, ut mala averterent, quibus rerum civilium ordo legum ferme immenſo numero turbabatur. Etenim proſpectum nequaquam fuit ea conſtitutione, uti opus erat, rebus omnibus, quibus publicæ res eſſent gerendæ, immo nec Privatorum actionibus, Judiciiſque, quandoquidem tota Judiciorum ratio in excutiendis verbis ICti alicujus verſari cæperit, quarum ſententias non adverſari, ſed ſibi favere ſinguli litigatores, licet inter ſeſe eædem adverſarentur, aperte ajebant. Quare equidem primus omnium Pyrrhoniſmum hac

ӕta-

ætate in Jus civile invectum heic dixissem, nisi idem haud diu docuisset Cl. Noodt, qui hujus ætatis Ictos ad Pyrrhonistas omnino ablegat. Igitur cum hæc posteriora mala antiquis fortasse pejora diu multumque idem Theodosius junior penitus noverit Anno CCCCXXXVIII. per Octo viros, inter quos primas egit Antiochus, novum Codicem componi jussit, qui compleсteretur Impp. Constantini, & Successorum constitutiones. Atque hinc prodiit Tertius Codex, qui Theodosianus dictus est. Codicem hunc fata non inviderunt; Quinimmo luculentissimis commentariis illustratum prodidit Vir doctissimus Jacobus Gothofredus, quibus Prolegomena præmisit, ubi fusissime de auctoritate, ac de Codicis Theodosiani præstantia agit. Quamobrem Gothofredum eruditissime de Auctoritate ejus Codicis disputantem consule, cum mihi tantum heic ducam, ne longus sim, te monere, Codicem Theodosii omnem omnino vim ubique obtinuisse, postquam ipse Theodosius singulari novella Constitutione, quæ inter Theodosianas prima est, eumdem confirmaverit.

§. XXX.

§. XXX. Post Theodosianum Codicem novæ constitutiones prodierunt cum ipsius Theodosii, tum Valentiniani III. Martiani, Majorani, Severi, Leonis, & Anthemii, quas primum evulgavit Petrus Pithæus Paris MDLXXI. At nonnullis notulis secundo publici juris fecit Conr. Ritthershusius Ic. Altorphinus Francof. MDCXV. Tandem eas Codici suo Theodosiano subjecit Jac. Gothofredus. Atque in hunc modum res stare visa est ad Justinianum usque, cum exploratum sit, Imperatores, qui Justiniano præcesserunt, nullam operam dedisse suis novellis Constitutionibus colligendis. Justinianus autem post longam annorum seriem studuit, ut universi Juris Romani collectio prodiret. Sed de re hac in calce hujus Historiæ, ne rerum dicendarum ordo turbetur, differam. Nunc e re est agere de ICtis, ad quos alteram causam pertinere dictum est, qua incrementum Imperatoria ætate Jurisprudentia Romana accepit.

§. XXXI. Ac sane quid valuere ICti ad Augustum usque §. XXII. demonstratum

tum eſt, nunc de auctoritate dicam; quam poſt Auguſtum eorum Reſponſa obtinuere. Idque, ut oratio rite procedat, fieri à me ita debet, ut apertum etiam cuique ſit, quid Juris ad Ictorum reſponſa pertinuerit vel poſt ipſius Juſtiniani obitum. Et ſub Auguſto quidem Icti cæperunt non privata, ut olim, ſed publica auctoritate reſpondere de Jure. Nam Sapientiſſimus Priceps, cui maximæ curæ erat Jura Imperii perpetuum firmare, optime novit obſtare non parum poſſe tot Ictos novo Imperio, ſi eorumdem interpretationes ab Imperii Juribus diſſonarent. Hinc non omnibus, ſed paucis tantum, qui ſibi, ſuæque poteſtati faverent, facultatem conceſſit de Jure reſpondendi ea tamen lege, ut non liceret quibuſvis ab eorum reſponſis diſcedere. Quare Lepidus profecto mihi videtur Pomponius, qui *l.* 2. §. 47. *de O. I.* id factum ab Auguſto ſcribit, ut *major eſſet Juris auctoritas*. Legatur omnino Heineccius *Antiquit. Rom.* 1. 2. Verum Gerardus Noodt id omne noviſſime improbare conatus eſt *ad Tit. ff. de J. & J.* quod ſibi perſua-

ſuaſit, Prudentum reſponſa niſi moribus, aut reſcripto confirmata nullam juris auctoritatem habuiſſe ante Conſtitutionem Theodoſii junioris, & Valentiniani III. *in l. un. Cod. Theodoſ. de Reſ. Prud.* Sed in hunc errorem incidit V. Cl. quod de Reſponſis prudentum eam legem loqui exiſtimarit, quæ revera nonniſi loquitur de Ictorum ſcriptis, quæ poſteriorum Principum legibus auctoritatem juris obtinuiſſe haud nego.

§. XXXII. Quum igitur datum ab Auguſto fuerit Ictis publica auctoritate de Jure reſpondere, continuo uſi ea fuere. At quoniam non idem omnes ſentire cæperunt cum in diſputando, tum de Jure reſpondendo non ſolum multis diſputationibus Juriſprudentiam involuerunt, verum et in diverſas partes, ſive ſectas abierunt. Sub Auguſto duæ ſectæ floruerunt, quarum altera Antiſtium Labeonem, altera Atteium Capitonem ducem habuit. Ad rem Pomponius *l. 2. §. 47. de O. I. Hi duo*, inquit, *primum veluti diverſas ſectas fecerunt. Nam Atteius Capito in his, quæ*

quæ eis tradita fuerant, perseverebat; Labeo ingenii qualitate, & fiducia Doctrinæ, qui & ceteris operis sapientiæ operam dederat, plura innovare instituit. Horum discipuli sub Imperatoribus, qui Augustum sunt secuti, in eumdem modum Jus civile exposuerunt. Hinc a Masurio Sabino, qui Capitoni, a Caio Cassio Longino, qui Sabino, et à Cælio Sabino, qui Cassio successit, Cassiani et Sabiniani. Item Labeoni successit M. Coccejus, Nerva Pater, Nervæ Proculus prænomine Sempronius, Proculo Pegasus; Unde Proculiani, & Pegasiani. Ut autem rem totam recte comprehendas, attendas quæso, quæ mox subnectam; Habes enim quodam veluti schemate Sectarum Principes, atque Imperatores ipsos, sub quibus iidem floruerunt, quemadmodum a Gothofr. Juniore editum est.

Sectarum Principes
sub Augusto
Capito —— Labeo
Sectatores
Sub Tiberio
Sabinus —— Nerva P.

Sub

Sub Cajo, Claudio, Nerone
Cassius, a quo —— Proculus a
Cassiani —— quo Proculiani
Sub Vespasianis
Cælius Sabinus, a- Ner. F. Longinus Pegasus
quo Sabiniani a quo Pegasiani
Sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio

Cassiani	Proculiani
Sabiniani	Pegasiani
——	——
Priscus Javolenus	Celsus P.
Aburnius Valens	P. Juventius Celsus
Tuscianus	F.
Salvius Julianus	Priscus Neratius.

Ne tamen credas, me omnes Ictos memoraſſe; Nam me non latet fuiſſe & alios per eadem tempora, quos non vacat recensere. Consule Gotfridum Mascovium *De Sectis Sabinianorum*, *& Proculianorum*, Forsterum in *Historia Juris Civilis*, & Bertrandum in *Vit. Ictorum*.

§. XXXIII. Nunc tene, summam Discordiarum inter has sectas hanc fuiſſe, quod Proculiani summum jus, Sabiniani vero æquitatem maxime spectarent. Sane Atteius veterum Institutis hærere sibi

ſibi duxit; ſed contra Labeo ingenii præſtantia fretus nova multa in Jus Romanum invexit. Qui ex iſtorum Scholis porro prodierunt, idem diſputandi genus uti a præceptoribus ſuis didicerant, ſententiis ſuis proſecuti ſunt. At ne putes, ignorari hodie cauſam, cur ejuſmodi diſſidia diu perdurarint. Equidem cauſam peti aperte video a Doctioribus viris ex variis Philoſophorum placitis. Sane quod ICti maxime Philoſophiam colere cœperunt, ejuſque præceptis nonnulla in Jure explicare, quæ in controverſia erant, profectum inde, ut ſicuti in rebus explicandis non idem Philoſophi ſenſerint pro ſententiarum ſuarum varietate (quamobrem in nonnullas ſectas Philoſophos ſciſſos legimus) ita ICti varium diſputandi genus ſectantes pro ingenio Philoſophi alicujus, cui ſe adſcribebant, tum ſcholas diverſas produxerunt, tum in ſectas tamdiu ſciſſi, quamdiu hujuſmodi diſputandi genus prætulerunt. Et certe Stoicorum præcepta ICtos ſpectaſſe nemini dubium eſt imo & Academicorum, aliorumque Philoſophorum. At Stoicorum Philoſophiæ haud

haud pauci se dediderunt, quod nempe eam moribus formandis, severiorique disciplinæ instituendæ magis idoneam præ ceteris judicarunt. Hinc nequaquam miror, passim Philosophiam stoicam *summam sapientiam* dici a Jurisconsultis. Plura hac de re tibi dabunt, si umquam adire tibi arridet, Cujacius *Obs.* *XXVI.* 40. Merill. *obs.* 7. 8. Schilterus *in. Manuduct. Philosoph. Mor. ad Jurisprud.* 1. 5. et Ev. Otto. in *De Stoica ICtorum Philosophia*.

§. XXXIV. Sub Hadriano Imperatore Sectarum istarum dissidia refrixisse, atque sub Antonino Pio omnino defecisse vulgo eruditi Interpretes docent. Cui rei causam dederunt ipsi posteriores ICti. Nam vel ante Hadrianum cæperunt ICti mediam inter contrarias utriusque Sectæ sententias tenere, uti præ ceteris a Prisco, sive Neratio, sive Javoleno factum tradit Tribonianus *Lib.* 1. *Tit.* 22. Tum vero idem eo magis prosecuti ICti Hadriano, atque Antonino Pio Juniores. Tales fuere Cajus, Pomponius, Scævola, Papinianus, Vlpianus, Paulus, quorum maxima cura

hæc fuit, diſſidia, pro eo ac poſſent, componere. Atque hi proprie *Herciſcundi* ſunt nominandi, quod nonnullas controverſias compoſuere inter utramque Sectam *Medii*. Verum tantæ rei operam ſuam Imperatores etiam contuliſſe ne inficieris; etenim nonnullas controverſias *Deciſionibus* ſuis præclare definiverunt. Earum exempla habes in plurimis Pandectarum locis, ac præſertim in *l.* 4. *ff. de Leg. commiſſ. et L.* 12. §. 1. *De Tut. & Curat. dat.* &c. Sed gloriam longe maximam hac in re jure merito ſibi vindicavit Juſtinianus Imp. qui quinquaginta editis Deciſionibus omnino ſtuduit componere ceteras controverſias, quas libido veterum Ictorum in diſputando in Juriſprudentiam non ſine maximo incommodo Reip. antea invexerat. Has omnes ſi conſulere cupis, adi Codicem Repetitæ Prælectionis, in quo omnes habes in varias particulas non ſine arte diſcerptas, ut ſcilicet ſuis locis deſcriberentur Jura, quæ iiſdem comprehenſa. Quare falſos puta eos, qui temere quinquaginta deciſiones (vera rei hiſtoria poſthabita) in Codice Ju-

Justinianeo tantum exstare negarunt; Satisfecit enim his omnibus sapienter Edmundus Merillius, qui non solum Decisiones hasce collegit, atque eleganter interpretatus est, verum etiam in *Prolegomenis* totus est, ut probet tantum quinquaginta decisiones in Codice repetitæ prælectionis comprehendi, etiamsi decisiones nonnullæ utilitatis causa in plures partes fuerint dissectæ, eæque opportunioribus locis adscriptæ. Atque hinc mihi temperare on possum, quin commendem criticos interpretes, qui uno ore recte Tribonianum culpant, quod passus sit post plurimos labores Ictorum, atque Imperatorum Rom. in libris Juris veterum dissidiorum vestigia superesse, quæ sane non parum ingenia studiosorum Juris adhuc exercent.

§. XXXV. Ex his omnibus Ictorum Responsis, quæ dissidiorum causa omne incrementum habuerunt, crevit quoque Jurisprudentia Romana. Quorum profecto tanta fuit auctoritas ad Justinianum usque, ut inter Juris scripti partes Tribonianus ipse aperte postmodum eadem recensuerit. Quamvis minime gra-

varer heic, si id agerem, mala proponere, quæ sequiori ævo subiit Jurisprudentia ex hujusmodi facultate Ictis concessa, quam eo magis porro obtinuisse haud obæsæ naris interpretes malunt ex Imperatorum quorumdam incuria, atque ignavia. Fuere enim Principes, qui artem imperandi vel neglexerunt, vel non rite noverunt; Quamobrem ii respondere visi fuere aliquando de Jure, qui nequidem inter Auditores esse mererentur, immo & sua conditione tanto splendore indigni palam dicerentur. Satis tamen tibi sit heic locum hunc Mamertin. attendere, qui Jurisconsultorum illorum conditionem exhibet, qui Juliani tempora attigerunt: *Juris civilis* (verba hæc sunt Mam. *Panegyr. XI, cap.* 20.) *scientia, quæ Manlios, Scævolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerat, Libertorum artificium dicebatur*. Ceterum qua auctoritate prædita Responsa prudentum ad Justinianum usque jam vides, me proposuisse, Nunc res ipsa postulat, ut tibi exponam, quid valuerunt Icti post Justinianum, Quod postremo loco, ut pensum meum rite absolvam, demonstrandum est. Sed rem hanc paucis accipe.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Ac ſane eorum ICtorum rationem heic a me haberi puta, qui ab eo tempore floruerunt, quo Digeſtorum Libri poſt diuturnam oblivionem e tenebris emerſerunt opera eorum, qui eoſdem explicare ſibi duxerunt. Ex quo quidem tempore non in dandis de Jure Reſponſis, ſed in legibus interpretandis, atque illuſtrandis mirificum ICtorum ſtudium exarſit. Primus autem, qui ei negotio feliciter operam dedit, animumque appulit, fuit Irnerius, qui græcis inſtructus litteris ad juris Interpretationem acceſſit. Sub Accurſio deinde latius, latiſſime vero ſub Bartolo Romanæ leges explicatæ ſunt, donec nova interpretandi ratio ſub Alciato cœpit illuſtrior, & utilior, quæ deinde a Cuiacio ejus Scholæ Principe Cujaciana nuncupata eſt. Sed ICtorum hiſtoriam heic contexere meum non eſt. Vide noſtrum Ian. Vinc. Gravinam, qui id eleganter proſecutus eſt. Id unum tantum monere e re duco, non tanti iſtas ICtorum Interpretationes eſſe habendas, ut vim Juris habeant, quod non publica, ſed privata auctoritate pro utilitate eorum,

 qui

qui Jus civile pernoſcere vellent, eas protuliſſe poſterioris ætatis interpretes certum ſit. Sane tantum valent, quantum probant. Atque hæc de Juriſconſultorum varia in reſpondendo auctoritate ſatis.

§. XXXVII. Nunc reliquum eſt, ut de Senatuſconſultis, ac de Edicto Perpetuo dicam. Ac primum de Senatuſconſultis ita diſputabo, ut ea tantum excipias, quæ ad hanc Juris ætatem, qua de agitur, pertinent, ne iterum dicta repetantur. Et ſane Tiberium Sctis primum vim omnem tribuiſſe nemo dubitat. Is enim licet ſecundum Auguſti Imperatoris inſtituta rem publicam gerere cæpit, tamen id maxime ſtuduit, ut poteſtas Pop. Rom. minueretur; quæ Imperii progreſſibus non parum obſtabat. Hinc Sex. Pompeio, et Sex. Appuleio Coſſ. comitia e campo ad Patres transferri debere apud Populum contendit vel hac cauſa, *quod difficile eſſet tantam Populi multitudinem in unum convenire*. Id quod Populus fieri permiſit, uti auctor eſt Tacitus *Annal.* 1. Sed nolim tu hanc cauſam veram exiſtimes. Nam longe aliud ſibi habuit Tibe-

berius. Nimirum cum noverit ad eum diem non pauca Tribuum ſtudiis facta, quæ Libertatis Jura omnino ſervare videbantur, quæque Imperio ſubruendo viam parare vel facile poterant, hoc uno tam gravi periculo obviam iri poſſe ſtatuit, ut nempe ad Senatum Jura Comitiorum transferrentur. Quod ubi obtinuit, novum veluti Imperium prodire viſum fuit. Quidquid enim Principi placuit, tamquam lex valere cœpit; quamvis ad minuendam invidiam res omnes a Senatu decerni Princeps affirmaret. Itaque quæ valere pro legibus Princeps volebat habita, aut per Quæſtores candidatos recitata oratione, vel libello prælecto patribus commendabat. His continuo adſentiri opus erat, vel ut fidem quam Principi Patres præſtiterant (quandoquidem ejus ope ad tantam dignitatem pervenerant) ſervarent, vel ut conſuleretur privatæ rei, ac fortaſſe etiam tranquillitati civium, quorum avaritia, libidine, atque ambitione delapſa jam erat libertas. Vide, quæ de Principum Orationibus docuere Chriſt. Otto a Boekelen in Diſſ. *de Orat. Prin-*

cip. in Senatu, & Schubartus *de Fatis Jurisprud. Rom. Exercit. III.* Idem porro servatum legimus ad Justinianum usque. Et quamvis post Tiberium paulatim adsuescere Imperatorum Dominationi adeo Romani cæperunt, ut leges pro arbitrio condere periculosum Principibus non fuerit, nec amplius res aleæ, ac dimicationis plena habita, tamen in eumdem modum Populo quandoque imperare haud displicuit. Id luculenter cuivis innotescet, si quæ ab Hadriano gesta, diligenter animadvertantur. Is plane toto ferme Imperii sui tempore leges bene multas creavit nulla ad Senatum habita oratione. Nam cum per orbem Rom. peregrinari ei opus fuerit, ut res Imperii undique dissipatas componeret, Senatui, quæ constituere malebat, aperire, præterquam ubi Romæ erat, non semper potuit. Hinc sub Hadriano perraro leges promulgatæ Senatu probante, uti antiqua consuetudine erat receptum, qua vel Principum Edicta SCtis firmabantur, vel Principum edictis Senatus decreta mutuo ad res pace gerendas fœdere illo, quod jam sub Initia Impe-

rii fuit callide a Principibus constitutum. Atqui quæ quæ Scta sub Hadriano facta recensere animus non est, ne te morer. Consule Heineccium *in Historia Juris Lib. I. cap. IV.* Quinimmo, ne multus videar, quæ de Sctorum auctoribus possent in medium adferri, silentio prætereunda existimo, quod tyronum tantum gratia hæc a me describuntur. Illud unum monere te duco, Cæsares, qui Hadriano successerunt, idem tenuisse de Senatusconsultorum auctoritate. Id quod probat omnino postrema illa legum recensio Justiniani Imperatoris, quam dat *Instit. Lib. I. Tit. II.*

§. XXXVIII. Ad ultimum pauca habe de Edicto Perpetuo, ex quo præcipua quoque causa trahitur, cur ætate Imperatoria legum numerus ferme immensus evasit. Ejus, uti supra dictum est, auctor vulgo fit Salvius Julianus sub Hadriano Imp. Cl. Ictus. Et non male quidem. Quis enim id in dubium revocare audebit, modo oculis subiiciat auctoritatem Eutropii VII. 9. & ipsius Justiniani in Græca Constitut. *De Confirmat. Digestorum*, qui Salvium Julianum Hadria-

driani auspiciis tantum opus suscepisse aperte testantur? Me tamen non fugit Hugonem Grotium in *Florum Sparsione* Antonino Pio Edictum perpetuum tribuisse. At fraudi ei fuit Aurelii Victoris locus, quo perperam ratus de Edicto Perpetuo sermonem haberi, uti docte Heinecius notat in *Historia Juris*. Plura autem Salvius Julianus Edicto perpetuo aggressus est, quæ mire perfecit. Sane non tantum curavit, *jus, quod varie inconditeque a Prætoribus adhuc promebatur, in ordinem componere*, uti Aurel. Victor refert XIX. sed illud etiam maxime effecit, ut studiosos juris non amplius morarentur, quæ jam exolevissent e. g. Edictum *De Fluminibus Retandis* de quo Gellius *Noctium Atticarum XI.* 17. &c. Quæ vero censuit ab usu fori aliena immutavit, emendavitque. Ac demum nova nonnulla descripsit in Edicto pro Sabinianorum ingenio, quorum sententiis captus adeo, ut Proculeianorum placitis nullum dederit locum in eodem Edicto. Id autem omne ut rite perficeret Julianus, usus collectione quadam edictorum, quæ prostabat in Biblio-

the-

theca Vlpia, cujus mentio est apud eumdem Gellium *Noct.Atticar.XI.*17. Et quidem in Bibliotheca ista volumina legum omnium pro Auctorum Industria recensebantur, eaque tanti habita, ut primum in Templo Trajani steterit, tum vero in Thermas Diocletianas translata fuerit. Consulatur Claudius Salmasius ad *Script. Hist. August.* Ex hac sapienter eruit Julianus, quæ omnia Edicto componendo describere opportunum duxit. Hinc haud miror equidem, tantam auctoritatem tale opus obtinuisse, ut Oratione ab Hadriano Imperatore in Senatu habita rite fuerit confirmatum, ac deinceps sibi fere numquam tribuerint Imperatores derogare iis, quæ in edicto comprehendebantur, immo etiam sibi habuerunt, appellationem denegare omnibus, qui auderent appellare ab iis, quæ in edicto præclare erant definita. Qua de re legatur Donellus *Comm. Jur.* XXVIII. 6. Verum Edictum hoc temporis iniuria intercidit. Sed ejus restituendi curam susceperunt Eguinarius Baro in *Manual. Juris*, Hubertus Giphanius in *Oeconomia Juris*, Petrus Pitenius

ICtus

Ictus Florentinus De *Oeconomia Edicti Perpetui*, & Jacobus Gothofredus, qui *Seriem Edicti Perpetui* dedit in *Quatuor Fontibus Juris civilis*. Quo opere profecto aliorum industriam vicit cum ordine, quo Edicta digessit, tum edictorum illorum editione, quæ e Prætorum albo primum exscripta; *nec enim ea edicta confinxit, quæ numquam fuerunt, nec quæ sunt ex Jurisconsultorum placitis, moribus Romanorum, antiquis legibus, vel etiam novis Principum constitutionibus* petita, quemadmodum ab Eguinario Barone factum in *Manuali Juris* idem docet.

§. XXXIX. Ex his omnibus, quæ hactenus enarravi, cuivis pronum erit pernoscere causas, eccur Romanis deinceps difficile fuerit, proprium jus scire, ejusque præcepta in judicando rite servare. Id mali quidem irrepsit ex ingenti legum numero, quarum aliæ Codicibus illis descriptæ, quos jam retuli aliæ extra Codices vagabantur, imo & novæ his omnibus in dies adjiciebantur pro Imperatorum arbitrio, quas intelligere, atque ad controversias definiendas adhi-

adhibere non omnibus dabatur, quod ſinguli ſibi omnes comparare non poterant, atque quæ ad manus erant, plerumque amanuenſium ignavia erroribus ſcatebant. En igitur vides, in quem ſtatum porro delapſa Juriſprudentia Romana. Hinc ut Imperii Romani, ac privatorum commodis recte conſuleretur, tandem Juſtinianus Imperator arduum opus legum omnium in ordinem redigendarum altero Imperii ſui anno ſuſcepit.

§. XL. Verum quæ Juſtinianus in huiuſmodi negotio præſtiterit, heic fuſe non referam, quandoquidem Heineccius ipſe rem totam ſcite complexus eſt ad *Proemium Inſtitutionum*, cujus elementa Juris mox pro inſtituto meo explicanda ſunt. Quare paucis me expediam, ne quis me carpat, nequidem leviter heic attigiſſe, quæ ad hiſtoriam Juſtinianei juris pertinent. Et primum quidem Juſtinianus ſecundo Imperii ſui anno ex tribus Codicibus, quibus Principum conſtitutiones continebantur, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano unum Codicem conflari juſſit per Decemviros, quorum Princeps Tribonianus Græcus homo, qui ma-

maximi habitus ab eodem Justiniano. Hic codex ab eo dictus est Justinianeus, quem tamen temporum infelicitate amisimus. Quarto deinde Imperii sui anno septem aliis viris accitis Pandectas, sive Digesta ex universo Civili Jure, ac prudentum maxime responsis composuit, ne scilicet novo Codice omnia sapientissima Romanorum Instituta, ac scripta Jurisconsultorum, quæ probata adeo erant, omnino interirent. Mox civiles Institutiones aggressus Juris Elementa studiosæ legum juventuti tradidit, operaque ad absolvendum tale opus tantum usus Triboniani, Theophili, et Dorothei. Tum octavo anno Codex repetitæ Prælectionis prodiit, quo nunc utimur. Quo præter nonnullas vagantes Imperatorum leges quinquaginta illas decisiones describi jussit, quibus totidem Juris controversias is idem antea definiverat. Quamobrem factum est, ut cum alter Codex Institutiones præcesserit, alter sit subsecutus, in Institutionibus fiat mentio Codicis, & in Codice Institutionum. Quod vero Justinianus ipse reliquo Imperii sui tempore multas edidit

dit Conſtitutiones, quæ Novellæ dictæ, has anno Imperii ultimo in unum volumen conjici juſſit, qui Codex Novellarum dictus eſt. Sed quoniam Novellis hiſce ſæpe derogatum, vel obrogatum, ſæpe etiam Jus Codicis abrogatum, ætate media, ſive Irnerius is fuerit, ſive alius, ſingula Novellarum loca, quæ Codici adverſabantur, in epitomen contracta legibus Codicis ſubiecerunt. Exinde Authenticarum nomen enatum, quemadmodum librum ipſum Novellarum ipſi barbari ICti *Authenticum* nominarunt. Itaque tenes, Jus Juſtinianeum contineri Libris L. Digeſtorum IV. Inſtitutionum XII. Codicis, novem Collationibus, quibus Novellas pro ingenio ſuo barbari Interpretes partiti ſunt. Ad hæc nunc addere piget, quæ vulgo diſputantur de genere, moribus, ac de ſapientia Juſtiniani, ſimulque de Aſſentatore Triboniano. Rem tamen tibi dabit breviter Heineccius ad *Proemium*. At ſi plura diſcendi de eadem re tibi cupido eſt, confer eumdem in *Hiſtoria Juris* 1. 6. et Guinetum in *Juſtiniano Magno*.

§. XLI.

§. XLI. Atque hic brevi huic Historiæ Juris Romani finem imponerem, nisi pro instituto a me enarrari oporteret, quæ ad Juris Justinianei fata spectant. Quæ quidem ut rite a me recenseantur, opportunum duco primum exponere, quæ fuerunt post Justinianum Romanæ Jurisprudentiæ fata in Oriente, tum vero ad ea veniam, quæ pertinent ad fata juris Romani in Occidente. In Oriente a Justiniano, qui anno DXXVII. Imperium suscepit usque ad Basilium Macedonem, qui Anno DCCCXXXVIII. in Oriente imperavit, ex Libris Justinianeis jus redditum est. Res tamen per hæc tempora variavit in eo, quod sub Justiniano Orientales legibus Latino idiomate descriptis in Tribunalibus, atque in Academiis usi fuere, post Justinianum vero desuescente paulatim latina lingua tantum græcis Librorum Juris Justinianei versionibus, qui vel sub ipso Iustiniano jam transferri in Græcam linguam cœperunt. Et certe Justinianus leges latina lingua describi jussit, ut non solum suo, verum etiam maiorum suorum, ac præsertim Constantini genio indulgeret, qui-

quibus maximæ curæ semper fuit effi cere, ut latini idiomatis usus in oriente vigeret. Vide Caroli Du-Fresne doctissimam Præfationem *in Glossario Med. & Infim. Latin.* qua critice enarrat Imperatorum varios conatus, ut vernacula in Oriente Lingua latina fieret. Atqui id contendere frustra eis fuisse patet ex hoc, quod nequidem, uti vides, Justiniani leges Latinis vocibus Justiniani jussu descriptæ in Oriente explicari, atque in usu poni in Foro potuere imperitia Latini idiomatis. Inde factum, est, cur teneas, ut in Græcam linguam Pandectas verterint Thalæleus, Stephanus, Cyrillus, Dorothæus, Codicem sive Thalelæus, sive alius, Institutiones Theophilus, qui omnino is idem est, qui juri componendo sub Justiniano vacavit cum aliis, quibus id muneris datum, uti erudite probat Jo. Henr. Mylius in *Historia Theophili*. At tandem latina Justinianei juris editio in Oriente defecit. Nam sub posterioribus Byzantinis Imperatoribus nova Juris collectio græce prodiit, in quam et Justinianea Jurisprudentia contractior, et Novellæ Græcorum Imperatorum

F con-

concesserunt. Et primum quidem Basilius Macedo Anno DCCCXXXVIII. edidit Προχειρον των νομων, hoc est *Promtuarium legum* in Libros quadraginta tributum. At Leo, qui Basilio patri successit, paternam collectionem perficere studuit, eamque libris sexaginta absolutam evulgavit sub Titulo Διαταξεων Βασιλικων, hoc est *Constitutionum Imperialium*. Quod vero nonnulla Basilium, & Leonem effugisse novit Constantinus cognomento Porphyrogeneta, qui ad Imperium Paternum venit post Leonem natu maiorem, ideo Paternum opus ampliavit, ornavitque adeo, ut tandem Libros sexaginta Βασιλικων, sive *Basilicorum*, eo quo opus erat, nitore, atque ordine in publicam lucem emiserit, quos porro cum Glossis græce, et latine edidit V.C. Carolus Annibal Fabrottus; quamvis pauca in iisdem desint, quæ non dum integra reperiri potuerunt. Ex Basilicis hisce redditum Jus in Oriente satis docent posterioris ævi Scriptores, qui passim ex Basilicis nonnulla capita Juris Romani recitant, eaque pro more suo illustrant. Id sane fecerunt præ ceteris Theo-

Theodorus Balſamon in *Nomocanone*, et Conſtantinus Harmenopulus in *Promptuario Legum*, quorum primus ſæculo XIII. alter ſæculo XIV. floruit. Quamobrem probari recte video Baſilicorum Libris Romanum ius in Oriente obtinuiſſe ad annum MCCCCLIII. quo anno Conſtantinopolitani Imperii, cui tunc temporis præerat Conſtantinus Palæologus, Turcæ potiti. Sed haud omnino falſi arguendos puto eos, qui etiamnum Turcas uti nonnullis legibus Romanis aiunt, ac non paucas leges Romanas in Turcicas confluxiſſe volunt. Sic Codice Juſtinianeo in Turcicam linguam translato in Judiciis Turcas uti adfirmat Leunclavius in *Præfat. ad Libros III. Paratitl.* Quinimmo ex Iſm. Bullialdo ſæpe audiviſſe se refert Menagius *Amoenit. Jur. Civ. cap. XXVI. Turcas pleraque ex legibus Romanorum in ſuas transfudiſſe præcipue, quæ ad materiam ſervitutum ſpectant.* Igitur habes iam, quæ fata ſubiit Jus Romanum ad poſtrema uſque tempora in Oriente, mox venio ad ea, quæ dant fata Juris Romani in Occidente.

§. XLII. Sunt qui fuſe probare conantur, in Occidente Juſtiniani leges tantum Ravennæ, quæ Græco parebat Imperio, vim omnem excepiſſe, quum populi reliqui Langobardicis, Francicis, et Gothicis legibus regerentur. Imo tantam inceſſiſſe Romani Juris oblivionem affirmant, ut Carolus M. cum diu exemplaria quæſiviſſet ad Romani Juris prudentiam inſtaurandam, fruſtra fuerit. At tandem ſæculo XII. Amalphi ab Lothario expugnata Digeſtorum libros forte fortuna repertos aiunt, ac Piſanis, quod Lotharium contra Rogerium Apuliæ Ducem claſſe adjuviſſent, præmio ceſſiſſe, itemque Anno MCCCCLX. Piſis expugnatis Florentiam translatos, ubi hodienum exſtant, unde Pandectarum Florentinarum, interdum etiam Piſanarum nomen, ex quibus cetera exemplaria deſcripta. Ad hæc addunt, reliquos Juſtiniani Codices paulatim deinceps cognitos fuiſſe; Quare Lotharium Imperatorem maxime commendant, quod deletis barbaris legibus decreverit, ut Jus Romanum per totum Imperium coleretur, ſingulosque obligaret, ac porro effecerit, ut ad

pri-

priſtinam maieſtatem rediret. Verum digna hæc ſunt Anicularum lucubratione. Equidem quovis depoſito pignore, ſi eo uſque adigar, teneo Jus Rom. in Occidente numquam intercidiſſe. Quod ut probem, hac methodo procedam. I. proponam, quæ perpetuum uſum Juris Romani in Occidente confirmant. II. quæ vulgo opponuntur, refellere non dedignabor. Et primum quidem Gothos, ac Langobardos Juris Romani uſum in Occidente, ac præſertim in Italia haud improbaſſe certum eſt. De Gothis res dubia tibi non erit, ſi quæ docte Grotius in *Hiſtoria Gothorum*, et Colerus *Parerg. II.* ſcripſerunt, attente legas. Langobardi autem non ſolum a Romano Jure non abhorruerunt, verum etiam impoſita ſolum Langobardis legis Langobardæ neceſſitate Italis ſua cuique lege vivendi facultatem dederunt, uti ex ipſa lege Langobardica 1. 29. 2. Imo in Codice legum Langobard. 11. 8. Luitprandi lex exſtat, qua aperte cautum, ut mulier Langobarda Romano viro nupta Jure Romano viveret. Langobardis ab Italia pulſis Carolum M.

Italis optionem legis dedisse in eodem Codice habetur. Atque ob hanc causam Juris Interpretes omnes, imo & Pontifices ipsos per hæc tempora Jus Romanum laudasse mihi persuadeo, quod sc. usus legum Romanarum revera perennarit. Sane sæculo VII. Novellam CXIII. citat Gregorius *Epist.XI.*53. et alibi tum ad Codicem, tum ad Novellas provocat *Epist. XII.* 53. Item sæculo IX. quo jam Caroli M. virtute ex Italia Langobardi expulsi, Juris Romani capita nonnulla laudant Hincmarus XVI. 5. XLIV. 30. Joannes P. VIII. apud Ivonem III. aliique ejus ætatis Scriptores ad controversias dirimendas. Idem quoque ab aliis, qui successerunt, factum. Quare rem totam, si in hunc modum explicetur, firmo stare talo nemo non videt.

§. XLIII. Ut autem falsum putes, quod perpetuo usui legum Romanarum opponitur, duo velim advertas. Primum est, fidem deesse iis, qui ita sentiunt, quod rem nemo tradiderit ante Franciscum Raynerium de Grancis Pisanum sæc. XIV. Scriptorem, cujus Poema *de Præliis Tusciæ* Cl. Lud. Muratorius

rius inseruit *Tom. XI. Script. Rerum Italicar.* Hic primus omnium fortasse suæ Patriæ studiosissimus Pandectas in Amalphitanæ Urbis ruinis repertas, Pisasque translatas retulit. Haud equidem nego, potuisse Amalphi Pandectas reperiri, mihi tamen non persuadet illud, tum primum ex ea inventione ius Romanum servari denuo cæpisse, cuius Codices iamdiu in pretio, atque in usu erant, Pisanisque eam gloriam deberi, quam Pisanus scriptor iis vindicat. Alterum est, quod certe stomachum facit, verisimile fieri non posse, ut Pisani pro tot laboribus sibi Pandectas exorarint, ac Pisas læti redire maluerint acceptis tantum Libris Pandectarum ex eo potissimum moti, ut nempe sibi daretur primum efficere, ut Jus Romanum, quo iam Itali utebantur, in Judiciis, atque Academiis induceretur. Quam mire hæc duo falsos reddunt eos, qui scribunt leges Romanas non obtinuisse post Justinianum in Occidente, non est, cur commendem.

§. XLIV. Quæ cum ita sint, rem porro ita expendas velim, post Justinia-

nianum Leges Romanas in Italiæ foris barbaris quoque probantibus in usu positas. Hinc non intercidit jus Romanum. At vero cum temporum barbarie rerum civilium ordo, ac litterarum splendor defecerit, diu id mali perduravit, ut nemo esset, qui jus Romanum doceret. Et certe primus Pepo Bononiæ eam artem profiteri cœpit, ac deinde Irnerius Germanus, quem Constantinopoli jus didicisse scribit Innocentius Cironius *Observat. Jur. Can. V.* 5. et post hos alii. Qui adeo profecerunt, ut Itali Bononiam se conferentes, ut Jus civile discerent, mire capi cœperint juris studio, atque Italorum exemplo ceteræ gentes. Consule, quæ huc spectant apud Guid. Pancirolum *De Claris Legum Interpretibus* & Ian. Vincent. Gravinam *De Ortu & Progressu Juris Civilis*. Inde causam repetas necesse est, quare quæ a Theodoro de Grancis exscripta aliquam fidem apud nonnullos habuerint. Nimirum cum perperam usum juris Romani in Occidente plane perpetuum cum opera Bononiensium Ictorum composuerint, studium juris Civilis, quod per hæc tem-

tempora revera, uti opus erat, restitutum, cum ejusdem usu nimis oscitanter confuderunt. Atque hæc de Fatis juris Romani.

PARS ALTERA.

De Origine, ac Fatis Juris Neapolitani.

§. I. VEnio iam ad alteram Partem Historiæ Juris Romano-Neapolitani, quæ tota est de Origine, et Fatis juris Neapolitani. At quantum difficile sit, rem hanc persequi, rerum Neapolitanarum studiosis adprime notum est. Sane antiquissimi juris Neapolitani Codices desunt, imo et tantis tenebris vetus historia Neapolitana involvitur, ut coniecturas facere omnino cogantur, qui de jure Neapolitano dissertare velint. Verum cum tale opus suscipiendum a me modo sit, id perfici quoquo modo posse mihi videtur, modo legum Historia a civili Neapolitanorum Politia minime seiungatur. Quare rem totam duobus capiti-

tibus perſtringam, quorum primo agam de Politia, ac Neapolitanorum Iuriſprudentia uſque ad Nortmandorum tempora, ſub quibus primum Urbes, ac Provinciæ Regni Neapolitani antea in varias ditiones pro varia Principum dominatione tributæ in formam Regni coaluerunt, quarum Princeps Neapolis noſtra eſſe cœpit, altero oſtendam, quid Iuris Neapoli ſervatum, poſtquam unius Principis Imperio ceſſit una cum ceteris Provinciis, quibus hodienum Regnum Neap. conſtituitur.

C A P V T I.

De Juris Neapolitani Ortu, & Progreſſu uſque ad Nortmandorum tempora.

§. II. Neapolis, quæ Rogerii Nortmanni opera, ac virtute Neapolitani Regni Princeps evaſit, primum breves fines habuit, quos hic deſcribere opus non eſt. Sub initium tamen Græcam Πολιτειαν ſibi quæſivit, ac Græca Magiſtratibus ſuis nomina impoſuit, ne a Græcorum moribus diſcederet, quos

quos conditores habuit. Verum quinam primi adventarint, ac Neapoli noſtræ originem dederint, incertum omnino eſt. Non pauci rerum noſtrarum Scriptores ab Athenienſibus Neapolitanos deſcendere malunt, eoſque littorum noſtrorum amœnitate captos urbem novam poſt longam navigationem condere ſtatuiſſe ſcribunt. Alii a Cumanis derivant, atque ab aliis Græcis gentibus alii. Certe, mihi crede, res dubia eſt. Id unum tamen certum teneri video a doctioribus viris, Græcorum coloniam Neapolim condidiſſe, ſibique primum Neapolitanos habuiſſe, Græcorum Inſtitutis, ac maxime Athenienſium adhærere. Quod quidem paucis tradunt Strabo, & Philoſtratus. Sic Strabo, qui ſub Tiberio ſcripſit, *Rerum Geograph. V. plurima tamen*, inquit, *ibi* (Neapoli) *Græcorum inſtitutorum superſunt veſtigia, ut Gymnaſia, Epheborum cœtus, Fratriæ, & Græca Nomina.* Idem docet Philoſtratus Lemnius (quem ad medium ſæculum tertium vitam prorogaſſe ab Suida putatur) in *Imaginum Procemio* his verbis : η δε πολις εν Ιταλια ωκισται, γενος ελληνες, και αστυχοι οθεν και τας σπουδας

δαι των λογων ελληνιχοι εισι, hoc eſt Oleario Interprete : *Civitas vero illa* (Neapolis) *in Italia* (ſita) *eſt : ſuntque illi origine Græci , ac probe exculti , unde et dicendi ſtudiis Græciſſant* . Ambo hæc loca Strabonis , et Philoſtrati mire demonſtrant , Neapolitanos origine Græcos fuiſſe , et ſtudia , ac Πολιτειαι Græcorum primis urbis ſuæ encæniis imitatos. Quid enim aliud præſeferunt Gymnaſia , Epheborum cætus , Fratriæ, de quibus Strabo , atque Archontes , Demarchæ , de quibus in veteribus Monumentis Neap. mentio occurrit ? Imo partitio illa vetus Pop. Neap. in Fratrias, quarum frequentiſſima eſt mentio in Titulis Neap. me movet adeo, ut ab Athenienſibus (quibus ea Regiminis forma omnino placuit) regiminis ſui primam Formam Neapolitanos arripuiſſe procul dubio affirmem . Ac ſane Neapoli plura ſaxa reperta fuerunt , in quibus varia Fratriarum propria nomina ab aliquo Numine , cui ſacræ erant , quæſita deprehenduntur . Ex his enim aperte colligitur , alios Eumelidas vocatos ab Eumelo Patre Parthenopes ita dictos,

ctos, de quo loquitur Titulus apud Capacium I. *6*. et Reinesium I. 156. alios Artemisios a Diana, de quibus Lapis a Capacio, & Summontio, deinde ab eodem Reinesio VI. 37. descriptus est, alios Aristæos; qui sodales erant, de quibus mutila, & tamen bene longa exstat apud Gruterum pag. CXXV. I. Inscriptio, ex qua plura Fratriarum officia discimus. Præter has fuisse et alias Fratrias critici rerum Neap. historici conjiciunt. Et non male quidem, cum saxum haud diu effossum novum mihi Fratriæ nomen obtulerit antea ignotum, ac fortasse posteris alia oculis subiicere dabitur. Ergo cum res ita sese habeant, tibi jam constare autumo, Urbem Neapolim ab initio Græcam fuisse. An vero libera prorsus, et Αυταρχης fuerit, non est, cur quæras. Nam Græca ipsa Magistratuum nomina, ac vetus Politia probant omnino Neapolim liberam & αυταρχην sub initium fuisse. Scio equidem, diu id quæsivisse nostros Αρχαιολογους, qui profecto contrarium teneri non posse ex eo aperte scripserunt, quod nullam nobis mentionem

nem iniecerint antiqui Scriptores Regum Neapolitanorum, qui Regium Neapolitanorum Dominatum procul dubio memoraſſent, ſi umquam Regio Imperio primum Neapolitani obnoxii fuiſſent.

§. III. Verum poſt hanc Αυταρχιαν per diverſos ſuæ Πολιτειας ſtatus urbs noſtra Romano Imperio florente decurrit. Nam primum fuit Fœderata Reſpublica, tum lege Julia Civitatem Romanam aſſecuta, deinde inter colonias recenſita, ac demum CPolitanorum Principum Imperio ceſſit, quamvis ſuam adhuc Reip. et Libertatis ſpeciem oſtentarit. De his nunc meum eſt paulo fuſius diſputare. Ne vero te varia illa nomina implicent, quæ diverſis hiſce ſuæ Πολιτειας ſtatibus Neapolis adepta, paucis tibi ea exhibebo, quibus rei, de qua diſſerendum, lux affulgebit.

§. IV. Et quidem Romanorum peculiare quoddam inſtitutum fuit in diverſas Regiones ſuas Provincias tribuere, ac cujuſque Regionis Civitates conditionibus variis ſubjicere. Id quoque in Regno noſtro Neapolitano factum hiſtorici tradunt, qui in plures regiones

nes Regnum Neap. Romanos tribuiſſe, ac cujuſque regionis Civitatum non unam conditionem fuiſſe referunt. Atque hoc Romanorum ſapientiſſimum Inſtitutum tum ad confirmandos amicorum animos, tum ad depellendos non tam gravi periculo inimicos, perduelleſque mire valuiſſe Carolus Sigonius paſſim docet in *De Jure Antiquo Civium Roman.* Civitatum autem cujuſque regionis hæ fuere conditiones, aut enim Municipia erant, aut Fœderatæ Civitates, aut Coloniæ, aut Præfecturæ. Præfecturarum conditio duriſſima, quod nec proprios Magiſtratus, nec proprias haberent leges, ſed per Præfectos Roma miſſos, et legibus a Pop.Rom. impoſitis regerentur. Hujuſmodi Præfecturas Feſtus recenſet Capuam, Cumas, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſſulam, Atellam, Calatiam, quæ cum non ſemel a fide Romanorum defecerint, duriſſimæ Præfecturarum conditioni ſubiectæ. Longe potior Coloniarum conditio fuit; quamquam enim Jura *non ſui arbitrii* habebant, uti Gellius loquitur *Noct. Atticar. XVI.* 3. habebant

ta-

tamen jura omnia privata, institutaque Pop. Rom. . Hinc in marmoribus frequenter occurrunt Coloniarum *Decuriones, Senatores*, uti apud Reines. *Inscript. p. CXXXII.* Duumviri, Ædiles, Quæstores, Censores, imo & Sacerdotes, Augures, Pontifices. Vide Ciceronem Agrar. 1. 35. Ut ad rem Gellius colonias *quasi effigies parvas, & Simulacra Maiestatis Populi Romani* appellet. Potissima certe fuit Civitatum Fæderatarum, ac Municipiorum ratio; namque hæc suos habebant Magistratus, ac suas leges, illæ tributo excepto, quod ex Fœdere pendebatur, liberarum loco erant in ceteris. Municipiorum tamen triplex fuit conditio auctore Festo *V. Municipium: Primo* (verba sunt Ez. Spanhemii *Orb. Rom. I.* 15. qui Festi locum perbelle exposuit) *Municipium id genus hominum dictum, qui quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo, aut Magistratu capiendo.* Videntur autem hi peregrini habiti in Patria, cives,

ves, ubi Romæ eſſent. Secundo Municipes id genus homines dicti, *quorum civitas univerſa in civitatem Romanam venit*. Atque hi et ſuffragii Jure gaudebant, et tamquam cives certæ tribui adſcribebantur, quemadmodum Piſanos Tribui Galeriæ adſcriptos fuiſſe docet Cl. Noris in *Cenotaph. Piſan. Diſſ. I.* 1. Tertium Municipum genus eos comprehendit, *qui ea conditione cives Romani fuiſſent, ut ſemper Remp. a Pop. Rom. ſeparatam haberent*. Et hi quidem Jure ſuffragii caruerunt, nec certæ Tribui adſcripti, ſed ſua illis ſacra fuere, ac leges. Adiſis Heineccium in *Adpendice ad Lib. I. Antiquit. Rom.* doctiſſime hac de re diſſertantem.

§. V. Atque hæ fuere diverſæ illæ conditiones, quas ſubivere Italiæ, ac præſertim Regni Neapolitani Regiones. At Neapolis noſtra numquam pro fide ſua erga Romanos miſeram illam Præfecturarum conditionem tulit. Et primum quidem urbem fœderatam fuiſſe perbelle oſtendit illuſtris Livii locus *Hiſt. Rom. XXXV.* 14. qui ſic habet: *Specioſo Titulo* (verba ſunt Minionis bellum pro An-

 tioco

tiоco suscipere dissuadentis) *uti vos , Romani , Græcarum Civitatum liberandarum video . Sed facta vestra orationi non conveniunt , et aliud Antioco Juris statuistis , alio ipsi utimini ! Qui enim magis Smyrnei , Lampsacenique Græci sunt , quam Neapolitani , et Rhegini , et Tarentini , à quibus stipendium , à quibus naves ex fœdere exigitis?* Hic locus Livii omnino dat , Neapolitanos Reip. fœderatæ forma gavisos , ubi primum eisdem amicitia cum Romanis coaluerit. An vero iam tum ab Anno V. C. DCLXIII. cum lege Julia civitas est Sociis , et Latinis data , hoc ipsum Neapolitanis , ut pote sociis , et benemeritis contigerit, non est, cur dubites. At videtur obstare M. Tullius in illa pro Corn. Balbo , ubi dubios fuisse Heraclienses , et Neapolitanos refert, an scilicet Αυτονομιαν Civitati, qua Sociæ , ac benemeritæ gentes a Lege Julia erant donatæ, præferre deberent his verbis : *In quo magna contentio Heracliensium , et Neapolitanorum fuit , cum magna pars in iis Civitatibus Juris sui Libertatem civitati anteferrent* . Verum

equi-

equidem teneo prævaluisse eorum sententiam, qui Civitatem admittendam esse censuerunt. Id omnino suadet Strabo prope ab initio *Lib. VI. his verbis: At nunc Tarento, Rhegio, et Neapoli exceptis omnia in barbariem sunt redacta, aliaque à Lucanis, et Brutiis, alia a Campanis obtinentur; tametsi ab his quidem verbo, re autem vera à Romanis; nam et ipsi* (Lucani, Brutii, atque Campani) *Romani sunt*. Ex quibus verbis, si, prout decet, accipiantur, præclare colligitur, a legis Juliæ, atque Plotiæ temporibus, a quibus Civitate Romana Socii, & Latini donati, Neapolim Civitatem Romanam admisisse, sibique tale decus peperisse. Ne credas tamen eam tanti fuisse, ut αὐτονομίαν suam Neapolis amiserit; Etenim eo tempore novo forsan exemplo Neapolitanis concessum, ac nonnullis Græcanicis Municipiis (cujusmodi fuere aliquot in M. Græcia) Civitatem Romanam cum Græcanicis institutis copulare. Atque hinc vides, cur ibidem Strabo Tarentinos, Rheginenses, & Neapolitanos adhuc Græcitatem retinere scri-

bat, quod Romanam Civitatem cum sua Greca Πολιτεία recte composuerint, Contra barbariem induisse ad rem dolet Græcismo reiecto Lucanos, Bruttios, atque Campanos, quibus negatum eo beneficio frui. Adde-sis Varronem in IV. *de L. L. Fratria*, inquit, *est Græcum vocabulum partis hominum, ut Neapoli etiam nunc*. Heic Varro demonstrat, Neapolitanos, licet Civitatem Romanam essent nacti, tamen Græcorum instituta atque Græca vocabula diu retinuisse, ac præ ceteris Græcum Fratriæ nomen. Quare licet iam ipsi Romani Cives essent, nihilominus pro ea libertate, qua frui Græcanicis Municipiis licitum fuit, Græca sibi nomina mallent, quam Romana imponere.

§. VI. An tandem ad Romanam Πολιτείαν se Neapolitani composuerint, ubi jura Coloniæ sibi habuerunt, explicandum iam est. Quod mehercule historicorum nostrorum mentes turbavit. Et Fabius quidem Iordanus Antiquitatum Neapolitanarum studiosissimus, quem laudat Cl. Petrus Lasena in *Gymnasio Neapolitano cap.* IV. haud negat, Neapolim

lim coloniam fuisse, cum id plane ex sexcentis marmoribus eruatur, sibi tamen persuadet Græcæ Reip. Fœderatæ, suæque αυτονομιας dignitatem nequaquam immutasse. Quod equidem nescio, quomodo constare queat; quandoquidem Coloniarum proprium fuit, mores, Instituta, ac Magistratus Urbis Romæ habere, *in cujus Jura, et leges transire* dicebantur. Contra Cæsar Capacius *Hist. Neap.* 1. 18. ex quadam bilingui Inscriptione (*) Tito Vespasiano posita

 sic

(*) Bilinguis Inscriptio inter Gymnasii ruinas, uti ferunt, effossa, quam Capacius protulit, hodienum exstat in dimidiato marmore (tale enim ad nos pervenit) Monasterii Adnuntiatæ, qua meridiem spectat, parieti affixo e regione Ædis S. Mariæ Ægyptiacæ. Eam Petrus Summontius lib. 1. cap. 2. primum, tum Cæsar Capacius non omni, qua opuserat, diligentia produxerunt. His deinde accesserunt Petrus Lasena in *Gymnasio Neapolitano pag. 69.* et Ludovicus Ant. Muratorius *Thes. Tom.* 2. qui sibi non omnem gloriam compararunt ex eo, quod marmor mendosum quoq. prodiderunt. Postremo Symbolam suam contulit, Alexius Symmachus Mazochius Campaniæ nostræ decus, atque ornamentum, qui in *De' Neapolitana Colonia* mancum marmor qua Græcis, qua

ſic colligit : *ex Græcis characteribus Romanam dijudica coloniam* . Atqui Capacio refragatur Petrus Laſena cap. IV. qui titulum contrarium oſtendere ex eo ait , quod Græco charactere ſit inſcriptus ; nam ea Inſcriptione tunc Colonos Neapolitanos probari potuiſſe vult, cum latine tantum fuiſſet exarata. Sed nihil valet hæc Petri Laſenæ ratio, qua Neapolitanorum Græcitatem contendere videtur , cum concidat omnino , ſi opponatur Laſenæ , Inſcriptionem illam debuiſſe Græce tantum exarari , ſi revera tunc Reſp. Neapolitana Græca fuiſſet . Age igitur , tricas heic ſerere opportunum non eſt, ne ab Inſtituto longius diſcedere opus ſit , jam Neapolim Coloniam fuiſſe aperte aio .

§. VII. Et ſane Neapolitanam Coloniam ſat nonnulli cippi commonſtrant apud Goltzium , Gruterum , Reineſium, alioſque . Sic Goltzius cippum recitat in hunc modum

S.P.

qua latinis litteris integrum nobis reddidit. Ut omnino ſanitati ſuæ marmor reſtituiſſe videatur . Id quod cuivis facile erit definire , ſi eumdem adibit .

S. P. Q. Neapolitanus
L. Bæbio L. F. Gal. Cominio
Patrono Colonie

Alia Coloniæ Neap. mentio occurrit apud Gruterum pag. 110. quam ex Panvinio attulit

Genio
Coloniæ Neap.

Huc quoque ſpectat Inſcriptio illa, quæ apud Reineſium Claſſe VI. n. 10. et apud Capacium legitur

M. Aurelio Pelagio
Patrono Coloniæ Neapol.
Pientiſſimo

Mitto alias, quæ paſſim apud Antiquarum Inſcriptionum collectores obviæ ſunt. Satis mihi eſt, opportuniores Titulos heic recitaſſe, quibus Colonia Neap. pro explorato prorſus haberetur.

§. VIII. Quod autem attinet ad Epocham Neapolitanæ Coloniæ in diverſa abeunt eruditi Scriptores. Sunt qui ſub Tito Imp. aut paulo ante Titum Neapolim inter colonias fuiſſe numeratam aiunt. Ac me non latet, eoſdem tale argumentum petere ex Inſcriptione bilingui, cujus paulo ſupra mentionem inieci,

quod sc. latina lingua sit perscripta. Atqui leve velim habeas ejusmodi argumentum, quod verisimile mihi sit, epigramma illud, quod olim inter Gymnasii ruinas effossum, utroque sermone perscriptum, ut consuleretur commodo advenarum Neapolim confluentium, quibus utraque lingua communis erat. Imo ob hanc causam Neapolitanis utrumque sermonem Græcum, ac Latinum antea in usu fuisse non pauci probari putant ex verbis hisce Strabonis: *Post Dicæarchiam* (*Lib. V.* prope finem) *est Neapolis*: mox ubi de Græca hujus urbis origine docuisset paucis interiectis ait: *aliquanto post obortis dissidiis campanos quosdam in urbem Civium loco* (Neapolitani) *receperunt, coactique sunt antea inimicissimos loco familiarissimorum habere, cum suos a se abalienassent. Argumento rei sunt Nomina Magistratuum principio Græca, posterioribus temporibus campanica Græcis permixta.* Quam mire Græci ac latini sermonis usum apud veteres Neapolitanos adstruat Strabo heic, etiamsi epigrammatis ætatem non viderit, quisquis intelligit. Sed male

male nolim habeas eos, qui aliter rem explicant, motos potiſſimum ex eo, quod Neapolitanorum peculiare non fuerit utrumque ſermonem adhibere, ne intricas exteros homines coniicerent Græci ſermonis imperitos, bene vero ceterarum Græcarum Gentium, quæ ubi in coloniarum dignitatem provectæ non ſolum Græco latinas Inſcriptiones facere, ſed etiam nummos bilingues ſignare conſueverunt. Quem morem Poetas ipſos rituum Græco Romanorum fortaſſe ſtudioſos adoptaſſe liquet præ ceteris ex binis illis verſibus Auſonii Epiſt. XII. ad Paulum, qui tales ſunt

Ελλαδιχηνμετεχων μουσης Latiæque Camenæ
Αξιω Αυσονιος ſermone alludo bilingui

Sin autem levia iſthæc videntur, grave illud exiſtimari debere puto, quod docet Mazochius noſter Immortalis memoriæ vir in *Diatriba de Colonia Neapolitana*, qui ad Epocham Neap. Coloniæ figendam utitur eadem elogio Tito reſtauratori Gymnaſii poſito, atque ex eodem ſcite deducit, non ſub alio quam

ſub

ſub Domitiano Principe Neapolim Romanæ coloniæ dignitatem fuiſſe conſecutam. Ac primum a Titi temporibus Coloniæ Neap. epocham abalienat. Quæ vero,ut ita ſentiret, eumdem moverunt, accipe: *ſub Tito certe*, verba ſunt ejuſdem Mazochii, *colonia* (*Neapolis*) *non erat*; *Nam ſi fuiſſet, numquam ſub ultimo, aut penultimo ejus anno Romanorum colonia Principi illi inſcriptionem Græco ſermone* (*et quidem Græco tantum*) *poſuiſſet: nam latina Interpretatio marmori . . . poſterior acceſſit. Nec porro ſi Neapolis ſub Tito Colonia fuiſſet, ei* γυμνασιαρχίαν, *et ceteras Paleſtricas dignitates, ſed potius duoviratum* (*alicubi ab Hadriano geſtum*) *detuliſſet. Sub Tito igitur Colonia non erat*. Exinde V. Cl. Coloniam Romanam ſub Domitiano Neapolim evaſiſſe ait. Id quod deducit I. ex Bæbii Cominii Patronatu Coloniæ Neap. quem primum Patronum vult, et ſub Flaviis Principibus maxime floruiſſe ſibi videri ait. II. *ex eo maxime*(ſic porro idem habet,) *quod ſub Domitiano demum Græco elogio adiecta translatio latina fuerit. Quid enim attinebat olim*

ſcal-

scalptum epigramma latine reddere, nisi quia gravitati Romanæ visum fuisset indecorum, si in Romana Colonia marmor exstaret uni ex Flaviis Principibus positum, idque Græco sermone tantum conceptum? Itaque cum interpretatio marmoris sub Domitiano scalpti, tum Patronatus a Cominio gestus Cl. Mazochio argumento sunt, Neapolim sub Domitiano potissimum ex fœderata Rep. Romanam coloniam evasisse. His equidem nonnulla de mea penu adderem, nisi hæc Tyronibus tantum commendarem, quorum gratia brevitati studendum est. Sed non deerit occasio plura hac de re disputandi.

§. IX. Sed quamdiu Neapolis Romanæ coloniæ Nomenclaturam servaverit, quis certo affirmare poterit? Quod sub Antonino Caracalla Orbem universum Romanum Civitate Romana donatum apud Scriptores rerum Romanarum legitur, & præsertim in Itinerario Rutilii Numantiani I. 63. his verbis eidem Caracallæ inscriptis

Fecisti Patriam diversis gentibus unam,

Pro-

Profuit injuſtis te Dominante capi ;
Dumque offers victis proprii conſortia Juris
Urbem feciſti, qui prius orbis erat ;

non deſunt, qui contendunt poſt Caracallam inter Colonias, Municipia, ceteraſque civitates, quæ ſub ditione Imperatorum Romanorum erant, nullum diſcrimen interfuiſſe. Verum hi fidem nullam mereri, quotquot ſunt, mihi videntur; quod conſtet, Neapolim eam Nomenclaturam, quam perhonorificam rata, adhuc IV. Chriſti ſæculo retinuiſſe; Tametſi ſub Caracalla cum toto orbe jus Civitatis Romanæ communicatum. Ut autem id probem, ne multus ſim, Epigramma unum recitabo, quod apud **Gruterum CCCCXXX.** *6.* tale eſt.

Licinii
Alfio Licinio
V. P. Patrono Co
loniæ ex Comi
tibus.

Regio Thermenſium vere Patrono
In hoc marmore licet, ut vides, nulla fiat

ſiat mentio Neapolitanorum, ſed Regio Thermenſium, tamen idem juvat omnino ad rem illuſtrandam, cum ſub Tutela Liciniorum Neapolitanos fuiſſe, quorum eo loci Patronus Colon. dicitur Alfius Licinius, ex antiquis monumentis luculenter eruatur. Adi-ſis Alex. ab Alex. *Dierum Gen.* *V.* 24. & Capacium *Antiquit. Neap. cap.* *VIII.* Igitur cum tale marmor IV. ſæculo ſcalptum, ad quartum ſæculum nomenclatura Coloniæ Neapolitanæ producenda eſt. Et certe quiſquis procul dubio deducet, modo adeo hoſpes non ſit in Antiquitatum ſtudio, ex nota illa *V. P.* h. e *Vir perfectiſſimus*, atque ex Titulo illo *ex Comitibus* ejuſmodi Epigramma IV. ſæculo adſcribendum. Atqui equidem voluiſſem ad manus habere marmor aliquod, quod Neapolitanorum nomen præfetuliſſet, quod hactenus oculis ſubijcere non datum, ut res nemini dubia eſſet; quamvis haud negaverim, modo mecum ita quis ſentiat, id mali ex marmorariorum ignavia, atque avaritiâ fortaſſe profectum, qui lucro potiſſimum capti, uti ſexcenta noſtrarum rerum antiquiſſima monumenta, ita eiuſmodi mar-

marmor, quod certe aliquando repertum reor, exſcindere, atque exſecare ſibi duxerunt.

§. X. Per hoſce diverſos ſuæ Πολιτείας ſtatus urbs noſtra decurrit ferme ad IV. ſæculum uſque. Sed Conſtantini ætate translata jam Imperii Romani ſede ex Occidente in Orientem Ducum regimini Remp. Neap. ſubiectam rerum noſtrarum hiſtoricis quibuſdam docere placuit. Adeatur Joannes Villanus in *Chronico*, et Julius Cæſar Capacius *Antiquit. Neap. cap. XIII.* Non ſatis tamen probatum video, num Neapolitani Duces tantum a CPolitanis Principibus confirmari cæperint, poſtquam ab iiſdem inſtituti ad Remp. Neapolitanam adminiſtrandam, an vero etiam ſibi tribuerint iidem Principes Duces noſtros eligere. Mihi quidem probandum videtur, quod Villanus, & Capacius ſcripſerunt, qui ad Neapolitanos Ducum ſuorum electionem pertinuiſſe volunt, quandoquidem veriſſimum habeatur illud, a Byzantinis Principibus clientelæ laxioribus habenis Remp. Neap. retentam. Hinc facile movearis velim ab iis,

qui

qui probare conantur post hæc tempora Neapolitanæ Πολιτείας formam fuisse ex Aristocratia, & Democratia temperatam. Porro aliam ne putes fuisse Reip. Neap. formam, ubi cœpit Italia Gothorum Imperio subesse. Nam retinuit Neapolis nostra beneficio Gothorum, et maxime Theodorici veterem Regiminis formam, nempe Curiam, seu Senatum, ubi de Annona, de Viis, cetérisque rebus ad publicum regimen pertinentibus cives decernerent. Sed pulsis ab Justiniano Gothis stetit vetus Politia. Et quamquam ceteræ civitates, quæ hodie Regnum Neap. constituunt, sub Langobardis formam deinde mutarunt, tamen Neapolis nostra peculiarem sui regiminis formam non mutavit ad Rogerium Nortmandum usque, cujus beneficio eamdem libertatem Neapolitani retinuerunt. Exstat tamen apud Capacium l. c. prope finem Privilegium quoddam (cujus fides criticis viris adhuc dubia non fuit) quo evidenter apparet, eamdem Reip. & Libertatis speciem Neapolim ostentasse ad annum MCXC. Etenim eo Privilegio aperte osten-

ostenditur, Aliernum ceu Ducem, & Consules complures tamquam Optimates, qui rerum summam administrabant, Jus Civitatis Neap. Amalphitanis concessisse. Ex quo pari libertate ad hæc usque tempora Neapolitanos usos quisquis intelligit. Ergo quas vices passa est Neapolis nostra ad Rogerium usque, me breviter jam vides ostendisse. Nunc animum advertere opus est ad leges, quas Neapolitani per hæc tempora adhibuere. Id nunc paucis dabo; quamvis res præclare expediri nequit antiquorum Juris Neap. Codicum penuria. Atqui priusquam rem hanc aggrediar, ne in errorem ullum incidas, illud unum advertas volo, ex dictis nequaquam colligi me velle Neap. Remp. prorsus sui Juris fuisse, postquam pristinam illam libertatem, quam sub initium nacta, amisit. Sane longe abesse a vero puta eos, qui Alexandri Abbatis Thelesini auctoritatem secuti sibi persuaserunt, Neapolim ad Rogerium usque liberam Civitatem fuisse. Inde usque ab eo tempore, quo esse fœderata Romanis cœpit, inesse cœpit in illo Fœdere societatis quasi quædam nota servitutis. Facit illud

lud Sulpitii apud Livium XXII. *Ab Rheginis, et Neapolitanis, et Tarentinis, ex quo in nostram venere POTESTATEM, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Igitur si quæ Libertas Neapoli asserta, ex beneficio Romanorum, ac sequiorum Principum repetenda omnino est.

§. XI. Et leges quidem Neapolitanorum primum Græcas fuisse, ac fortasse ab Atheniensibus petitas vetus ipsa Reip. Neap. forma luculentissime demonstrat. Profecto Archontium, et Demarchorum Neapolitanorum mentio non rara est in antiquis Titulis. Nec desunt vetera alia monumenta, quæ Atheniensium Instituta Neapoli obtinuisse aperte testantur. Quæ duo, cum certa sint, satis probant, sub initium Neapolitanos ab Atheniensibus deprompsisse, quæ necessaria erant ad Remp. Neap. instituendam, ac servandam. Quare promeritos recte laudem puta eos, qui hisce argumentis ducti origine Athenienses fuisse Neap. docuerunt. Eamdem quoq. fuisse Reip. Neap. formam, easdemque leges Neap. servasse, ubi Fœderatarum civitatum numero Neapolis haberi cœpit, illud est argumento, quod de Fœderatis Civitatibus dictum

H est.

est. Immo nihil etiam immutatum, postquam Neapolis Coloniis adscripta ex eo mihi persuadeo, quod nulli novi Coloni Neapolim deducti. Quod nolim mireris, quandoquidem certo scimus, ultimis saltem Reip. Rom. temporibus haud insolitum fuisse civitates, & maxime eas, quæ fidem integram Romanis servassent, Coloniis adscribere nullis sive veteranorum, sive Civium Romanorum in eas deductionibus ritu consueto factis. Tale Institutum Pompeium secutum, cum Transpadanas Colonias conderet, tradit Asconius ad Orat. in Pisonem his verbis: *non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceteræ latinæ Coloniæ, id est, ut petendi Magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur*. Atque hic manus do equidem iis, qui non jus Latii tantum, sed plenæ civitatis Romanæ decus Neapoli indultum putant, manentibus interim Græcanicis institutis. Sed quamdiu Græcorum Instituta Neapoli perstiterunt, atque vetus Πολιτεία perdurarit, haud facile di-

xe

xerim. Quamvis nonnullæ græcæ inſcriptiones probare illud videantur, adhuc ſecundo Æræ Chriſtianæ ſæculo Græcæ Reip. formam Neap. conſervaſſe. Talis præ ceteris fuit illa, quæ a quodam Tiberii Aug. liberto in veſtibulo Templi Caſtorum poſita fuerat, quam quivis intueri poterit, ubi commodum erit. Hujuſmodi quoque illa eſt, quæ ad S. Mariæ Ægyptiacæ parieti affixa cernitur. At quæ quæ in medium proferri poſſunt de Græcanicorum Inſtitutorum apud Neapolitanos uſu, certe tanti non ſunt, ut Græca Inſtituta minime defeciſſe probent. Qui vero factum, ut paulatim Neapolitani ab antiqua Reip. forma, atque Græcanicis moribus deflexerint, haud difficile eſt æſtimatu. Etenim plura ad hanc rem exſtant argumenta, quorum potiora heic, ne me quis in re tanta oſcitantiæ culpet, breviter recenſere non gravabor.

§. XII. I. Peto ex Incolarum Romanorum frequentia. Eccui ignotum, adeo Romanos Neapolitanis deliciis captos, ut frequentes heic ſibi villas ædificarint? Id quod jam ipſis liberæ Reip-

 tem.

temporibus fieri cœpit; quamvis haud negaverim ſub Imperatoribus Romanis longe frequentiores ad nos veniſſe Romanorum Optimates, ut ſcilicet tum amænitate loci hujus fruerentur, tum Principibus adblandirentur, qui maximam anni partem heic morabantur, ut ſibi,ſuiſque rebus privatis hilari animo conſulerent. Hac de cauſa primum fieri potuit, ut mores Græci paulatim dilaberentur, atque ad Romanorum mores deflecterent. II. dat ipſe Latiaris ſermo, qui paſſim uſurpari a Neapolitanis cœpit. Idque vel facili negotio deduci poteſt ex Inſcriptionibus, atque ejus ætatis Scriptoribus. Sane novæ quotidie Inſcriptiones effodiuntur haud alia quam latina Lingua ferme omnes conceptæ. Immo Scriptoribus ipſis latiarem ſermonem adhibere opportunum admodum viſum. Inter quos præ ceteris recenſendus Statius Papinius Domo Neapolitanus, qui ſub Domitiano Imp. vixit; Is enim Latino ſermone ſua Poemata edidit. III. momentum facit, quod habet Philoſtratus Lemnius ſæculi III. Scriptor, quippe qui in *Imaginum Prooemio*

mio docet, circa initia III. sæculi Neapolitanos Lingua, & Institutis Romanos fuisse, quandoquidem narrat convenire ea ætate solitos Neapolitanos adolescentes *origine Græcos* in porticu quodam posito in Neapolitano suburbio ad mare sito, ut Græcis ludis tum grammaticis, tum declamatoriis vacarent, cum ceteroqui Romani essent. Et certe si Philostratus eo loci perlegatur, decernet quisquis, non tantum Latine locutos tunc temporis Neapolitanos, verum et latinis moribus maxime indulsisse, ac vix tantum in suis Academiis Græcissasse, ne penitus exciderent majorum mores, atque Græcus sermo omnino exsolesceret. Quamobrem optime sese gessisse intelligimus S. Ambrosium Græci Idiomatis callentissimum, qui latinam epistolam IV. exeunte sæculo ad S. Severum Episc. Neap. scripsit nulla ibidem Hellenismi Neap. facta mentione. Huic adde-sis Gregorium M. Cassiodorum, ceterosque posterioris ætatis Scriptores, qui nullum Græcitatis Neapolitanæ vestigium nobis significarunt. Verum nolim credas, heic me in re tanta arbi-

trari omnino velle nullo interjecto rerum discrimine. Teneo equidem, quod nonnullos scripsisse scio, imam multitudinem Neapoli Græcum sermonem fortasse custodivisse, atque majorum institutis inhæsisse pro eo, ac posset. Id enim persuadent lapides illi privata auctoritate inscripti, qui ad nos pervenerunt græcis Litteris exarati, Græcanica studia, et Græcæ Linguæ exercitamenta ad III. usque sæculum Neapoli exculta, frequentia Græcorum advenarum, Græcæ nonnullæ familiæ, ac maxime Basiliani Græci Monachi. His de causis fieri potuisse putem oportet, Græcos mores, ac sermonem Græcum minime exsolevisse, quamvis jamdiu Neapolitani latinos mores, ac linguam adsciverint, ac præcipue leges Romanas maxime probarint.

§. XII. Rem ita stetisse tene etiam, ubi a Ducibus Neapolis regi cæpit sub CPolitanæ Aulæ tutela, sc. post Imperii sedem mutatam. Tametsi Græca alia Byzantinorum instituta Neapolim illata ex nova Græcorum frequentia huc Constantinopoli ventitantium. At Latinos ne mores, ac leges retinuit, an vero alia jura

jura recipere coacta, ubi Gothis cessit Anno CCCCLXXVI.? Et exploratum quidem habe, Gothorum beneficio, et præsertim Theodorici Neapolitanos pristinos mores retinuisse, ac veterem Reip. formam, latinaque Magistratuum suorum nomina, quæ inde usque ab Hadriano, qui Campaniæ Consularem præposuit, usurpari cæpisse volunt. Adisis Grotium in *Prolegom. ad Hist. Gothorum*, et Petrum Jannonium *Hist. Civil. Neapol. III.* 2. Ac demum pulsis ab Justiniano Gothis nihil porro immutatum, idemque jus retentum Neapoli, quemadmodum eadem Πολιτεία perduravit, uti paulo supra dictum est. Quinimmo eadem instituta post Rogerium quoque viguisse, eademque forma res publicas Neapoli gestas luculenter testantur, quæ supra laudavi, monumenta.

§. XIV. Igitur quæ leges apud Neapolitanos obtinuere ad Rogerium usque Nortmandum, ferme divinando me hactenus prosecutum vides. **Id quod primo hoc capite erat pro instituto explicandum. Nunc ad caput alterum venio, quo complecti opus est, quæ ad historiam Legum**

Neapolitanarum pertinent, quibus uti cæperunt Neapolitani, postquam Neapolis Regni huius Princeps evasit.

CAPUT II.

De Legibus, quæ in usu fuerunt in Regno Neap. post Nortmandorum Tempora.

§. XV. REgnum Neapolitanum, cujus caput esse Neapolis cæpit, à Rogerio descendit; Nam ante Rogerium in diversas regiones tributum, quæ aut à Populis accolis nomen sumserunt, aut accolis dedere nomen. Præstat igitur, ut recte sermo procedat de Legibus, quæ postmodum valuerunt, sub initium heic veterem regionum istarum Πολιτειαν enarrare. Et primum quidem civitatum cujusque regionis ea fuit forma, quam eis conditores dederunt. Hinc cum plurimæ huius Regni Civitates originem a Græcis hauserint, ac præsertim eæ, quæ ad mare sitæ, haud inverisimile fit, easdem primum ad Græcarum Rerumpublicarum formam

mam se composuisse. Atqui ubi Romani sibi addicere vel belli, vel potentiæ causa urbes per Italiam dissitas cæperunt, eas regiones nostræ exceperunt conditiones, quæ iisdem a Romanis tributæ. Quare aliæ Municipia, aliæ Fœderatæ Civitates, aliæ Coloniæ, aliæ Præfecturæ fuerunt. Harum conditio non eadem fuit. Nam Municipiorum, Fœderatarum Civitatum, et Coloniarum conditiones dedere populis vel propria Jura servare, vel Civitatis Romanæ Leges adsciscere ac retinere, secus tamen illa Præfecturarum, cum durissimo servitutis jugo subiicerentur populi, qui Præfecturarum conditionem pati cogebantur. Vide, quæ præcedenti capite hac de re contuli. Atque ita earum regimen stetit ad Hadrianum usque. Sub Hadriano primum omnes illæ regiones in quatuor Provincias abierunt, quarum I. Campania. II. Apulia, et Calabria. III. Lucania. IV. Samnium. Campaniam Consulares, Apuliam, et Calabriam, Lucaniam, et Bruttios Correctores, Samnium Præsides rexerunt. Eadem partitio, eademque regiminis forma fuit usque

uſque ad Juſtinum II. Sub Gothis enim nihil immutatum, quippe qui veterem Provinciarum partitionem, eoſdemque Magiſtratus retinuere. Immo nec a Juſtiniano ab antiqua regiminis forma variatum, qui porro Gothos ex Italia opera ſtrenuorum Ducum expulit. At Juſtinus Uxorius Imperator, qui Juſtiniano ſucceſſit, Sophiæ uxoris conſilio Italiam Longino regendam cum ſummo Imperio dedit Anno Æræ Chr. DLXVIII. Longinus autem Ravennæ Exarchum conſtituit, qui Italiam pro Orientali Imperatore adminiſtraret. Quod vero veteres Magiſtratus ſuſtulit, ac civitatibus illuſtrioribus Duces præpoſuit, ortum ſumſere tot in Provinciis noſtris Ducatus, ſive ſub Græcis Neapolitanus, Surrentinus, Amalphitanus, Gaietanus, Barenſis, ſive ſub Longobardis, ut Beneventanus. Conſule omnino Carolum Sigonium *de Regno Italiæ I. II.* Marquardum Freherum *in Chronolog. Exarch. Ravenn.* apud Leunclavium, et Petrum Jannonium III. 5.

§. XVI. Sed nova Reip. gerendæ ratio inſtituta eſt facto ab Alboino Longobar-

bardorum Rege in Italiam impetu, qui Narſetis conſilio in Italiam venit, ut tum Narſeti placeret, qui Sophiæ cauſa (quippe quæ tantum Ducem qua minis, qua injuriis minus juſte affecerat) ereptam Italiam Imperio Romano malebat, tum ſuis, qui mire Italiæ regionibus poſſidendis jam antea erant capti, cum ſc. Juſtiniano auxilio fuerint ejuſdem Narſetis opera ad Gothos ex Italia depellendos. Et ſane Samnio primum, tum aliis hujus Regni Provinciis ab Alboino, ceteriſque Langobardorum Regibus, qui eumdem in Italiæ Regno ſecuti, ferro ſubactis Neapoli excepta atque Amalphi, et Gaieta, & quibuſdam aliis Calabriæ, et Brutiorum maritimis urbibus, quæ fidem Græcis Imperatoribus ſarctam tectam ſervarunt, publicum earum regimen in hunc modum haberi cœpit. Regia primum Sedes Ticini inſtituta. Porro civitatibus Præpoſiti fuere Duces. Atque hinc præcipui illi tres Ducatus originem traxerunt, nempe Forojulenſis ſub ingreſſum in Italia, in media Italia Spoletanus, in inferiori parte Beneventanus. Quod vero

ro Langobardorum virtute paulatim prolati Langobardici Imperii fines, in inferiori Italiæ parte partiri e re visum fuit Ducatum Beneventanum in minores Provincias, quæ Comitatus, & Castaldiæ dictæ, quod eis aut Comites, aut Castaldi præessent. Qua de re plura vide apud Auctorem *Hist. Civil. Neap. lib. IV. et V.*

§. XVII. Sed quoniam Langobardis non omnes nostri Regni regiones cesserunt, atque eis minime datum uni Principi tantum subesse, tractu temporis hæc duo Langobardico Imperio fatale exitium attulerunt. Etenim primum inter sese contendere cœperunt Langobardi Principes, vel ut fines sui Principatus adversus hostes custodirent, vel ut latius pro arbitrio fortasse eosdem proferrent (quo vires Langobardorum maxime deficere cœperunt) tum Imperatoribus Græcis obstare debuerunt, qui Langobardicos Principatus in suam ditionem vi atque armis revocare conabantur, quos sibi injusto bello, ac per vim ereptos ajebant. Accedebant his malis continuæ Saracenorum excursiones, quibus ita sese comparare debebant, quasi esset continuo cum hoste infensissimo

dimi-

dimicandum. Hoc tam gravi rerum discrimine Nortmandico Imperio initium factum est. Et sub initium quidem paucorum Nortmandorum opera hæc fuit, opem ferre Guaimaro Principi Salernitano adversus Saracenos, qui Salernum funditus debellare pro Piratarum ingenio minabantur, nisi a Guaimaro ingens pecuniæ quantitas sibi redderetur. Qua in re præstiterunt illi adeo, ut eosdem profligarint, immo & post multorum suorum necem naves ascendere, atque in Siciliam, unde erant profecti, præsto redire coegerint. Id Guaimarus plenissime commendavit. Nam primum strenuos hosce viros rogavit, ne Salerno discederent. At quoniam redire eos omnino velle in Patriam novit, ex qua non belli causa profecti erant, sed ut pro more peregrinarentur ad invisenda celebriora Christianorum templa, permisit tandem a Principatu suo eosdem abire hoc pacto, ut de gente sua sibi pares alios virtute bellica, ac fide ad se mitterent. Atque hos fidem suam liberasse, statim ac in Patriam suam pervenerunt, patet ex hoc, quod non multo post ex Nort-

man-

mandia non pauci ad regiones nostras venerint, qui licet sub initium arma pro Principibus Italis inter se diffidentibus ceperunt, tamen vel amore dominandi capti, vel ut nonnulli malunt, quod male a Langobardis Principibus habiti, impetum facere armis, ac ferro in omnes cœperunt, ut sibi tantum Regnum pararent. En initia Nortmandici Imperii, quod Nortmandorum strenuitate ita processit, ut demum Rogerio, qui Siciliæ Comes dicebatur, facile fuerit, omnes nostras Provincias, quæ antea in varios Principatus, ac Dinastias divisæ, occupare, easque in formam Regni redigere. Quæ forma stat adhuc.

§. XVIII. His de diversa nostrarum regionum Politia delibatis, antequam in Regni formam redigerentur, nunc haud difficile est de diversis earum Legibus disputare. Et quidem tene primum Græcas urbes ad Græcam Πολιτείαν se temperasse. Ubi tamen variæ illæ regionum nostrarum conditiones pro Romanorum jure invaluere, habe, Municipia, et civitates Fœderatas suis vixisse legibus, Colonias communi Romanorum Jure, Præfe-

fecturas legibus a Romano Pop. impositis. Verum cum græcis urbibus, inter quas procul dubio Neapolis nostra primas agebat, Græcanicis institutis frui datum fuerit ex Romanorum beneficio, inde deducere est non legibus tantum Romanis vixisse, sed Romanas leges fortasse ob earumdem præstantiam suis moribus easdem attemperasse. Quare mirum non erit cuivis, quod refert Philostratus *in Vita Apollonii VII.* 17. de Arca Adolescente Romam sub Domitiano a Patre misso, ut Jus Romanum disceret. Ceterum mutata per Hadrianum externa regiminis forma idem jus stetit usque ad Langobardos; Gothi enim jus Romanum nequaquam improbarunt. Et quamvis Langobardi victis populis dederunt, sive Romanis, sive Langobardicis legibus vivere, tamen tum legum Langobardarum numero, quas primus Rotarius septimus Langobardorum Rex scriptas dedit Anno DCXLIV. habito de more Principum Langobardorum Ticini Principum Virorum Consilio, tum Feudorum multitudine, quæ tunc temporis in hoc Regno mire creverunt, fieri non po-

poterat, quin Langobardicæ leges a singulis adhiberentur. Sane Ecclesiastici sibi tantum Legum Romanarum usum retinuerunt, cum contra Feudatarii Langobardorum leges adhibere debuerint. Quorum exempla alii nobiles viri, ac plebeii secuti, illi nobilitatis suæ ostentandæ gratia, ut sc. se pares in privatarum rerum, ac publicarum jure servando feudatariis ostenderent, hi ex proprio plebeiorum ingenio, qui majorum leges plerumque deponunt, quod novarum rerum studio mirum in modum capi solent. Cave tamen heic credas per hæc tempora, Neapolitanum Ducatum, aliasque Calabriæ, et Bruttiorum maritimas civitates Jus Langobardorum attigisse, quandoquidem hæ sub Imperio Græcorum erant. Sub Nortmandis primum Langobardicæ leges in omnibus Regni Neap. Provinciis receptæ sunt. Constat enim, Nortmandos concessisse victis leges, quas vellent, retinere sive Romanas (*) sive Langobardas, immo et palam professos, se easdem leges adhibituros. Atque hæ fuere leges, quæ in Regni nostri regionibus valuerunt ad Ro-

Rogerium usque e Cl. Nortmandorum genere, quas variasse pro vario singulorum Principum dominatu, nec semper communes cum Neapolitanis fuisse iam habes. Nunc restat, ut noscas, quodnam jus adhiberi cæperit Neapoli, atque in Provinciis omnibus Regni Neap. postquam in unius Principis potestatem Rogerii Nortmandi virtute concesserunt.

(*) LANGOBARDUM NE, AN ROMANUM JUS SUB NORTMANDIS COMMUNE FUERIT, BREVITER EXPONITUR.

I. Quod paulo supra protuli de legum Romanarum usu in hoc Regno sub Nortmandis, id haud ignoro, nonnullis bilem ciere. Non desunt enim, qui malunt, sub Nortmandis potissimam fuisse vim Legum Langobardarum, easque Juris communis loco in Regno Neap. fuisse usque ad Friderici II. tempora, quibus jus Romanum Neap. explicari cæpisse ajunt, postquam scilicet Bononiæ jam cæperat doceri inventis haud diu Amalphi Juris Justinianei libris. Hinc leges Romanas sub Nortmandis a paucis veluti consuetudines potius servatas, quam veluti scriptas leges habitas protinus affirmant. Atqui nihil a vero ma-

§. XIX. Et quidem sub Rogerio primum factum est, ut Regni Neapolitani

ni

gis alienum effingi posse mihi videtur. Ac miror in hanc sententiam pedibus ivisse, tamquam pedarium sc. Petrum Jannonium. Ne igitur errandi ansa tibi detur, meque carpas, quod fortasse falsus fuerim priori Parte hujus Historiæ, ubi Romani Juris usum post Justinianum in Occidente perennasse probavi, attendas quæso, quæ huc conferam. Ninnirum primum proferam argumenta eorum, qui leges Langobardas Juris communis loco fuisse contendunt, tum vero, quid eadem valeant, habebis. Quibus haud difficile æstimatu erit, quid revera sentire in re tanta opus sit.

II. Et primum quidem argumentum, qui longobardas leges communes fuisse volunt, repetunt ex Constitutione *Paritatem* sub.Tit. *De Præstando Sacramento Bajulis*, ubi Rex Gulielmus I. Camerarios, et Bajulos jubet, *promto zelo justitiam ministrare secundum constitutiones, & in defectu earum secundum consuetudines adprobatas, ac demum secundum jura communia Langobardica, et Romana.* Quoniam autem hac lege Rex Gulielmus ordine scripturæ prætulit Langobardas leges Romanis, inde potissimam legum Langobardarum vim fuisse deducunt. Alterum dari existimant ab Andrea de Barulo Friderico II. Imp. coævo. Is enim libro *de Differentiis Langobardarum, ac Romanarum Legum* refert, se animum appulisse ad Langobardi,

ac

ni regiones omnes , quarum aliæ antea in varias Dinaſtias tributæ , aliæ ſub

ac Romani Juris differentias deſcribendas , ne amplius daretur obſcuris forenſibus optimos Advocatos in forenſibus diſputationibus vincere Langobardici Juris ignoratione . Et ſane victum in judicio optimum advocatum is tradit ab *Advocatello* quodam unius Langobardæ legis loco laudato . Hoc luculentiſſimo vetuſti Scriptoris teſtimonio præclare illud quoque confirmare conantur , leges Romanas tum vim ſcripti Juris obtinuiſſe , cum Langobardorum jus deficeret. Tertium argumentum deſumunt ex Matthæo Afflicto , qui ſuo quidem tempore , hoc eſt ſub Ferdinando Aragonio numquam præſtitiſſe Jus Langobardicum Romano ſcribit , contrarium tamen olim obtinuiſſe , se a ſenibus accepiſſe addit . Duo alia argumenta ad eamdem rem confirmandam præſtiterunt ad ultimum Hugo Grotius , et Petrus Jannonius , quorum alter in *Prolegom. ad Hiſt. Gothorum* leges omnes Regni noſtri ex Langobardicis profluxiſſe ait , alter vero *Hiſt. Civ. Regn. Neap.* *XI.* 4. ex duabus Rogerii conſtitutionibus , altera ſub titulo *De Sacrilegio Regum* , altera ſub tit. *De Raptu, et Violentia Monialibus illata* prope ad verbum deſcriptis ex l. 3. *De Crimine Sacrilegii* , et ex *l. un. de Raptu Virginum* præclare deduci ait , ea ætate Romanas leges in uſu nequaquam fuiſſe ; ſatis enim

 fuiſſet

sub suorum Principum dominatione erant, aliæ demum Ducum regimini suberant, in for-

fuisset Rogerio, leges Romanas laudare, si eædem vim Juris retinuissent; Neque iisdem verbis describere opus fuisset, ut, quæ ibidem cauta, in usum revocarentur. Atque hæc sunt potiora eorum argumenta, qui pro Longobardis legibus stant. Nunc accipe, quæ ejusmodi argumenta omnino infirmant.

III. Ac primum recte diluitur ex eo, quod eadem Constitutio complectitur. Sane cuivis perlegenti, criticeque expendenti Gulielmi constitutionem luculenter apparebit, nullo modo ab ea Romanum Jus improbatum. Noverat enim penitus Gulielmus Rex, in Italiæ, ac præsertim Regni Neap. Provinciis non idem Jus antea apud omnes servatum, quod gentes, quarum dominationi Italiæ Provinciæ passim cesserunt, permiserunt victis legibus illis vivere, quas vellent. Inde natam scimus consuetudinem illam (hanc in Italia communem fuisse tradit Car. Sigonius *de Regno Italiæ Lib.* 8. ad annum 1007. quem vide) qua cuicumque datum edere, qua lege vivere vellet. Et quamvis Luitprandus primum cavit, ut Filius viveret Jure Patris, ac dein Lotharius I. aperte constituit, nemini licere jus, quod antea se profiteri velle ediderat, immutare, ne in tanta legum varietate res publicæ, privatæque pro vario hominum arbitrio definiri viderentur, tamen

formam unius Regni coaluerint. Atque is ubi imperare Provinciis omnibus Regni

tamen constat priorem illam Luitprandi Legem paulo post desuevisse, alteram hanc Lotharii bono publico parum consuluisse. Ne igitur ejusmodi malis Regni nostri Provinciæ deinceps premerentur, Gulielmus Rex sub initium peculiares edidit constitutiones, ac porro, ubi opus esset, adhiberi sancivit consuetudines illas, quæ præ ceteris probatæ erant, his deficientibus Leges Langobardas, quarum usus jam in Regno inoleverat, ac demum Romanas. Nimirum voluit Gulielmus, potissimam vim esse debere Legum municipalium, Romanarum porro, ubi municipales deficerent, quemadmodum hodie fit. Nil aliud profecto, si rem rite velis transigere, tibi dabunt verba Constitutionis Gulielmi, quæ in hunc modum in Codice Friderici descripta sunt, *non amore, non odio, non prece, non pretio, nec timore omnibus conquerentibus absque personarum exceptione, promto zelo justitiam ministrare curabunt* (Camerarii, & Bajuli) *& secundum constitutiones nostras, & in defectu earum secundum consuetudines adprobatas: ac demum secundum Jura communia Longobarda videlicet, & Romana, prout qualitas litigantium exegerit, iudicabunt*. Hinc stomachum faciunt, qui his rationibus non moventur, ac digitum intendunt ad *Tà communia*, atque ad scripturæ ordinem provocant,

gni nostri cæpit, continuo sibi duxit, iura condere, quæ omnibus Neap. Regnum

cant, cum *Tò Langobarda* primo loco positum sit. Certe nisi putent, ne turpiter errent, duplex commune jus fuisse sub Gulielmo, cum communia Jura Langobarda, & Romana ibidem dicantur, quandoquidem duplex Jus admittere instar monstri est, alterutrum fateantur necesse est, vel vitio Scriptoris *Tò Longobarda* positum loco non suo, uti visum Lucæ de Penna ad L. 1. Cod. de Conduct. et Matthæo Afflicto ad eamdem Gulielmi constitutionem, qui Jus Romanum commune fuisse tunc temporis docent, vel potius commune Jus Langobardum dictum, quod ubique sub Nortmandis ex Nortmandorum beneficio in usu esse cœperit Langobardorum jus, quod antea non tam commune fuit, siquidem omnibus Regionibus Neap. Langobardi minime imperarunt. Igitur cum plenissime Langobardum Jus probatum jam fuerit, Gulielmo placuit Romano, quod jam commune jus erat, Langobardum adnectere. Ut scilicet in controversiis dirimendis primum a Bajulis, & Camerariis ratio haberetur suarum constitutionum, tum consuetudinum, dein Juris Langobardi, quo omnes Populi utebantur, ac demum deficientibus his legibus, quæ ferme Juris Municipalis corpus conficiebant, Juris Romani, quo vel post Justiniani obitum Occidentales vixerunt.

gnum incolentibus communia essent. Ut autem rem rite expediret habito Ariani Ba-

IV. Secundum argumentum ab Andrea de Barulo desumtum facile rejicitur. Habes ex eo, Andream de Barulo Advocatum, qui multa edisseruerat de Jure Romano, Optimum dixisse, contra eum, qui Jus Langobardorum opposuit, *Advocatellum*. Certe nequaquam dixisset Advocatum Juris Romani peritissimum *optimum* Andreas, nisi Romanum Jus commune fuisset? Atqui scio, mox te opponere, victum ab *Advocatello* uno loco Juris Longobardi laudato optimum Advocatum. Sed id quoque leve est. Sane ita rem definiri oportebat. Te ne fugiat, jus commune vigere, nisi ulla lex municipalis opponatur. Igitur cum pro *Advocatello* controversiam Lex Longobarda dirimeret, quæ ubique Juris municipalis loco valebat, hæc tanti a Judicibus haberi debuit, ut judicari ex sententia Langobardæ legis necesse fuerit nulla habita ratione Juris Romani, quod tamquam commune profecto valere debebat, nisi ulla municipali lege abrogaretur, Atque ob hanc causam Cl. vir discrimina Langobardarum, ac Romanarum legum aperire sibi duxit, ne sc. ignorarent deinceps eam Juris partem Caussidici, quæ Juri Romano prævalebat, quippe quæ pars esset Juris Municipalis. Immo equidem puto, Andream de Barulo tale opus suscepisse non ob hanc causam tan-

Baronum, Officialium, atque Episcoporum consilio de more majorum suorum, ac

tum, sed ut Langobardici Juris capita exhiberet, quæ noscere difficile admodum erat, quod Juris Codices tum temporum barbarie, tum egestate eorum, qui Juri operam dabant, ad manus omnium non erant, atque qui ad manus erant, sexcentis mendis Librariorum ignavia scatebant.

V. Nec porro obstat, quod tertio loco ex Afflicto producitur. Nam licet Afflictus scribit, se a veteribus Advocatis accepisse, Langobardicum jus Romano præstitisse, tamen ipse contrarium tenet, atque Romanum jus in antiquis Regni constitutionibus pro communi habitum docet. Id quod præter Afflictum tenuere Cl. alii legum nostrarum Interpretes. Quorum in numero habe Lucam de Penna laudato loco, qui maxime laudatur ab Agnello de Bottis ad *Constitut. Gulielmi*, et Carolum de Tocco sub Rege Gulielmo M. C. Judicem; hic enim in Glossis, quas scripsit in Leges Langobardas Romanum Jus, non Langobardicum passim commune dixit. Verum Doctorum, quotquot in hanc sententiam laudari possent, auctoritatem confirmat omnino Fridericus II. quandoquidem in Constitutione *violentias* De *Violentiis*, & in Constitutione *Durum*, & *Diram* de *Præscriptionibus* Juris communis nomine praeclare Jus Romanum intelligit. Quamobrem eos, qui con-

ac Langobardorum Regum primas dedit Conſtitutiones Neapolitanis,& Siculis com-

contrarium ſcripſerunt, haud inficior deceptos ex male intellecta Gulielmi conſtitutione, de qua diſputatum jam eſt.

VI. Superſunt duo alia argumenta, quæ vulgo ex Grotio, & Jannonio repetuntur. Verum hæc duo tantis viris plane indigna ſunt. Quod Grotius ait, Conſtitutiones noſtras ex Jure Langobardo pene omnes confluxiſſe, falſum omnino eſt; appoſite enim Gloſſæ, & doctiores Juris Neapolitani Interpretes demonſtrant, Neapolitanas leges ex Romanis legibus plerumque petitas. Sed hac in re eſt, cur parcas Hugoni Grotio viro ceteroqui doctiſſimo, quippe qui legum noſtrarum haud peritus videri voluit. Atqui bilem merito movet doctis viris Petrus Jannonius, qui ex eo Langobardo Juri vim omnem deferre ſtudet, quod duas Conſtitutiones ex Codice Juſtinianeo Rogerius prope ad verbum deſcripſerit. Si tale argumentum valeret, continuo quærendum eſſet, num Andegavenſium, Aragonenſium, ceterorumque noſtrorum Regum leges in Regno Neapolitano communes fuerint nulla habita Legum Romanarum ratione, quandoquidem nonnullæ leges Romanæ, quæ fortaſſe in deſuetudinem abierunt, prope ad verbum deſcriptæ fuerunt in Volum. noſtrarum Legum. Quo quid umquam futilius dici, atque excogitari poſſit non video?

communes. Ac ſane nolim heſc ignores, Nortmandos Principes, qui Rogerio præceſſerunt, principio Apuliæ ſubacta regiminis formam Ariſtocraticæ ſimilem tenuiſſe; Nam conſilio Melphiæ habito captas urbes inter ſe diviſerunt; Melphiam vero ad publica conſilia communem habuerunt. In quem modum neſcit nemo, antea Langobardos Clephi mortuo per decennium noſtris Provinciis imperaſſe publica conſilia Ticini habentes. Tale inſtitutum ex eo maxima commendatione dignum habitum puta, quod cauſam dederit optimis legibus condendis, atque ad res publicas rite gerendas maxime opportunis. Ne tamen te moretur Ramondetta II. 46. qui a Siculis abdicat Conſtitutiones Rogerii, cum conſtet, Rogerium tum Siculis, tum Neapolitanis communes conſtitutiones ſuas voluiſſe. Earum triginta novem ſuperſunt, quas enumerare lon-

deo? Igitur quid de re tanta ſentire oporteat, iam tenes, quidque valeant, quæ contra opponuntur. Id omnino a me erat demonſtrandum, ne perperam opinareris, Jus Langobardum ſub Nortmandis commune Jus fuiſſe.

longum eſt, habentur tamen in Codice Friderici, de quo paulo poſt erit ſermo. En igitur ſub Rogerio primum omnibus noſtris Provinciis datum legibus frui, quibus ſingulæ tenerentur, et ſcriptis quidem; Conſuetudines enim fuere leges illæ, quas Robertus Guiſcardus olim induxerat, atque Rogerius alter Rogerii hujus Avus confirmaverat, quæ profecto obtinuerunt, antequam Nortmandis omnibus regionibus Neapolitanis imperare datum fuit.

§. XX. Rogerii exemplo Reges, qui Rogerium ſecuti, novas leges condiderunt. Sed omnium maxime condendis legibus ſtuduit Fridericus II. Imperator, cujus habentur tres Conſtitutionum Libri, quibus etiamnum utraque Sicilia utitur. De his nunc diſſertabo. Verum ne vagetur oratio I. breviter recenſebo, quæ ad ejuſmodi Conſtitutionum hiſtoriam pertinent. II. de earum auctoritate, quippe quæ non ſemper idem valuerunt, agam.

§. XXI. Atque ut a primo ordiar, exploratum jam eſt, Fridericum Imperatorem vel ab initio, quo cœpit in utraque Sici-

Sicilia regnare, constitutiones comitiis pro more Langobardorum habitis in variis nostri Regni Civitatibus edere cœpisse, ut publicæ utriusque Regni tranquillitati sapienter consuleret. At dissidia, quæ cum Pontifice Romano intercesserunt, tum animi sui quietem turbarunt, tum vero maxime eidem legibus hisce colligendis vacare sub initium minime permiserunt. Sed pace demum cum Gregorio P. facta, suisque Regnis Siciliæ, atq.Apuliæ pacatis, quorum Imperio sibi servando cum fortissimis hostibus etiam pugnare non semel necesse fuit, Constitutionum libros componi jussit per Petrum de Vineis Capuanum inter Ictos ejus ætatis maximi nominis. Nolim tamen teneas, Fridericum in peculiare volumen redigi jussisse tantum suas constitutiones. Nam insertas habe in eos libros non solum Friderici ipsius constitutiones, quas vario tempore, & variis in locis Regnorum Siciliæ, atque Apuliæ ediderat, sed & nonnullas Rogerii I. Avi sui, nonnullas Gulielmi I. Avunculi, & quasdam paucas Gulielmi II. consobrini sui. Quod vero legitimos Principes numquam habuit

buit Tancredum, & Gulielmum III. uti ad rem Auctor Historiæ Civ. Neap. *Lib. XVI. cap. ult.* horum Principum constitutiones in Codicem suum inseri Fridericus minime passus est. Atque hinc prodiit primum Legum Neapolitanarum Volumen, quo leges scriptæ comprehensæ non unius tantum urbis propriæ, sed totius Regni Neapolitani, imo & Siciliæ communes. In hanc sententiam profecto promulgavit, ac Regia auctorite firmavit ipse Fridericus: *Accipite* (ita Fridericus *Constitut. Lib.* 3. *Titul. ult.*) *gratanter, o Populi, constitutiones istas tam in judiciis, quam extra judicia potituri, quas per Magistrum Petrum de Vineis Capuanum Magnæ Curiæ nostræ Judicem, & Fidelem nostrum mandavimus compilari*. Non est porro, cur disputes de tempore, quo Friderici volumen editum; satis enim veteres editiones probant his verbis *Actum in solemni Consistorio Melphiensi anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXI. Mense Augusti Indictionis quartæ*, anno MCCXXXI. Mense Augusto Friderici constitutiones publicatas, quamvis iam easdem

dem condiderat Imp. menſe Junio eiuſdem anni. Nec animum adverte ad vulgatas editiones, quippe quæ non ſine mendo ſunt, atque ab antiquis minus recte variant, uti ex Riccardo in Chronico conſtat, qui in antiquis editionibus ita ſe annum ejus Codicis legiſſe refert, eumque annum ſe quoque in veteribus Conſtitutionum editionibus notaſſe Afflictus tradit *in Prælud. qu.* 1. *num.* 1. *Ex quo* (appoſite Afflictus) *iſtæ Conſtitutiones editæ fuerunt mandante dicto Imperatore per Doctiſſimum virum Petrum de Vinea in anno Domini* 1231. Quamobrem graviter peccaſſe puta, Bartholomæum Camerarium, Urſinum, & Auctorem Gloſſæ Pariſienſis, quem ſequitur Cl. de Andreys in *Diſputatione*, *An fratres &c. cap.* 1. quorum primus in ſuo *Dialogo* ſcribit, editas a Friderico conſtitutiones ante annum 1218, quo eodem anno Fridericum ab Honorio III. excommunicatum falſo ſupponit, ſecundus *De ſucceſſione Feudi Parte* 2. *quæſt.* 2. *Art.* 1. editas vult ante annum 1246. quo anno fuit Fridericus ab Innocentio IV. excommunicatus, tertius

tius demum editas putat an. 1221.; hi enim omnes vel proprio arbitrio rem expendere maluerunt, vel neglexerunt antiquas, ac ſinceriores editiones conſulere.

§. XXII. Verum incrementum porro Friderici Codex accepit ob novas conſtitutiones, quas Fridericus condidit poſt Libros conſtitutionum compoſitos. Sic menſe Februario anno 1232. in S. Germano edidit novas conſtitutiones *de Mercatoribus*, *Artificibus*, *Medicis*, *Aleatoribus*, *Militibus*, *Notariis &c.* uti colligitur ex Chronico Riccardi. Eodem anno menſe Octobri editas etiam habemus ex eodem Chronico alias conſtitutiones ad Annonam, Pondera, et Menſuras pertinentes. Sic etiam anno 1233. quo se in Siciliam contulit Fridericus, comitiis ſyracuſis habitis facta fuit celeberrima illa conſtitutio, *ut nulli liceat* (verba ſunt Riccardi) *de filiis, et filiabus Regni matrimonia cum externis, et adventitiis, vel qui non ſint de Regno abſque ipſius ſpeciali requiſitione, mandato, ſeu conſenſu curiae ſuæ contrahere, videlicet ut nec alicui alienigenarum filias ducere in uxores pœna appoſita omnium rerum ſuarum*

rum amissione . Ad ultimum, uti idem Riccardus refert, *in Grossetto quasdam edidit Sanctiones contra Judices, Advocatos, & Notarios, quas per totum Regnum publicari praecepit, & tenaciter observari, quarum initium tale est, nihil veterum auctoritati detrahitur &c.* Nec desunt aliae, quas referre omitto, ne plus justo morae sim. Exinde factum, ut omnes hasce Friderici constitutiones libris, quos antea composuerat Fridericus, addere, suisque Titulis subijcere porro studuerint Taddeus Sinuessanus, Roffredus Beneventanus, & postremo Andreas, & Bartholomaeus de Capua. Sane quas constitutiones edidit in S. Germano Fridericus post publicatas constitutiones opera Petri de Vineis compositas habes in eodem Codice subiectas peculiaribus Titulis *De Mercatoribus*, *De Fide Mercatorum*, *De Medicis*, *De Aleatoribus*, *vel de his qui ludunt ad Dados* .... Constitutio autem quam de uxore non ducenda sine permissu Regis Syracusis condidit, subiecta est Titulo *De Uxore non ducenda sine permissione Regis.* Quas denique evulgavit

da

de Judicibus, Notariis, & Advocatis, eædem adjectæ Titulis *De Officio Magistri Justitiarii*, & *Judicum Magnæ Curiæ*, ac *De Advocatis ordinandis*. Ne autem Friderici constitutiones hæ cum antiquis confunderentur, diligenter curatum a Taddeo, Roffredo, & Andrea, ac Bartholomeo de Capua, ut Constitutiones novæ inscriberentur, ut sc. cuivis Codicem Friderici consulenti plenissime constaret, quæ Constitutiones primum in Codicem insertæ, quæque postea opera triumvirorum tamquam *NOVÆ* peculiaribus Titulis subjectæ.

§.XXIII. Quod vero pertinet ad earum auctoritatem, non semper eadem fuit. Sub Friderico, ac sub Suevis Principibus vim omnem scripti Juris Friderici leges habuerunt. At ubi Regnum ad Andegavenses transiit, non adeo valuerunt: tum quia cæperunt Professores eorum temporum tamquam impias Friderici Constitutiones proferre, quod earum plerasque ajebant libertati, atque Jurisdictioni Ecclesiasticæ adversari: tum quia suis Capitulis Andegavenses non

paucas Friderici constitutiones abrogarunt, multis etiam derogarunt; tametsi sub initium Carolus I. ejusque Filius Carolus II. eas servari jussissent in cap. *Constitutiones*, & cap. *ad perpetuam*. Præcipui autem Friderici Constitutionum Interpretes fuere Andreas, & Marinus de Caramanico, qui primum eas Glossis illustrarunt, Bartholomeus de Capua, Andreas de Isernia, qui Commentarios in easdem ediderunt, Lucas de Penna, Diomedes Mariconda, Jacobus, & Nicolaus Ruffus, Joannes Crillus, Cæsar de Perinis, Nicolaus Superantius aliique, qui demum studuere breves Glossas tantum Constitutionibus addere. Horum tamen Andreas, & Marinus de Caramanico Glossis suis Friderici Constitutiones non adeo male habuerunt, quod primus sub Friderico, alter vero paulo post Friderici tempora manus Constitutionibus explicandis admoverunt, ceteri vero, qui sub Andegavensibus floruerunt, pro temporum indole eas interpretati sunt. Atqui Aragonenses, qui post Andegavenses regnarunt, ac præ ceteris Ferdinandus I. pristinum

ſtinum nitorem, ac vim omnem Friderici Conſtitutionibus reſtituerunt. Quare denuo eas Doctores, uti par erat, interpretari cœperunt, inter quos præſtitit Matthæus de Afflicto, qui licet ſenio confectus triennio integrum, fuſiſſimumque Commentarium in Friderici Conſtitutiones abſolvit. Hunc ſecuti Agnellus de Bottis, Angelus Piſanellus, Fabius Jordanus, Bartholomeus Martialis, & Antonius Pulverinus, qui poſt Afflictum breves notas Conſtitutionibus Friderici tantum addiderunt. Neque de ejuſmodi Conſtitutionum vi deinceps variatum; Nam cum ſub Auſtriacis, tum ſub Hiſpanis Regibus, ac demum ſub Invictiſſimo, Clementiſſimoque Carolo Rege, qui hodie in Hiſpania regnat, quibus porro Regnum Neapolitanum ceſſit, eadem vis, uti olim, ſtetit Friderici conſtitutionum, eæque paſſim etiamnum adhibentur vel ſub ipſo noſtro Rege Ferdinando IV. quem Deus O. M. pro optimo ſubditorum ſuorum ſoſpitet, fortunetque, modo novis poſteriorum iſtorum Principum Pragmaticis, uti fit, minime abrogentur,

vel contrario usu infirmentur. Quod fatum revera nonnullas Friderici constitutiones subiisse in notulis ad Heinnecium ostendam. En quæ pertinent ad varia fata Friderici Constitutionum. Reliquum tamen heic est, ut mihi videtur, ut omnino advertas ea, quæ hactenus de Auctoritate Constitutionum Friderici disputata, spectare tantum illas Constitutiones, quæ pro regimine utriusque Siciliæ promulgatæ fuerunt, quæque in Codice Constitutionum Utriusque Siciliæ continentur, secus illas, quas Fridericus in Urbibus Moguntina Francfordiensi, aliisque condidit a Melchiore Goldasto in *Monarchia Imperii* diligenter collectas; Nam eæ, quæ *Augustales Constitutiones* dictæ, apud nos nullam vim obtinuerunt, quod iisdem incolumitati, ac tranquillitati aliorum Regnorum tantum prospectum.(*)

DE



(*) De Origine, atque usu Legum Feudalium in Regno Neapolitano.

I. Ex iis, quæ jam de Codice Friderici dicta ſunt, excepiſſe reor, non paucas leges diverſorum Principum in eo comprehendi, quarum ſententias proponere hic locus non eſt; Etenim earum ſermo erit in iis locis,in quibus opportune oportebit, diſcrimina Romani, ac Neapolitani Juris exhibere. At quoniam ſparſim leges ibidem occurrunt ad Feuda ſpectantes, quas equidem, ubi opus erit, recenſebo, mihi des velim, ut de Origine, atque Uſu legum Feudalium ſejunctim breviter heic diſputem. Quod ut rite perſequar, præmittere e re eſſe puto quædam de Origine, ac Natura Feudorum, ut ſcilicet & initia legum Feudalium, & uſus recte pernoſcantur.

II. Et de origine quidem Feudorum quot capita tot ſententiæ. Qui a vetuſtis Orientalibus Populis eorum originem repetivere, longe a vero abie-

runt, cum nihil illorum populorum mores, atque instituta præferant, quo tam ab alto originem suam feuda repetere posse mereantur. Vide-sis Struvium *in Historia Juris Feudalis*, & Hornium *in Jurisprudentia Feudali*. Neque audiendi sunt quoque, qui Romanis originem tribuerunt. Sic Zasius *De Origine Juris* a Romulo Feudorum originem derivat ex eo, quod Romulus Optimatibus nonnullis dederit plebeiis, humilioribusque paternam curam præstare, eosque in clientelam recipere. Contra vero Budæus ad *l. Herennius* Cod. de *Evictionibus* totam originem tribuit ei Romanorum mori, quo Provinciales, & socii Pop. Romani in clientelam sese dabant Proceribus Romanis, *quos privatim, & publice patronos sibi adoptabant ea conditione, ut Patroni clientum capita, & fortunas in fidem reciperent suam, clientes vero omni obsequio colerent Patronos.* Accedat his Pancirolus, qui *Lectionum I.* Alexandrum Severum Feuda instituisse putat, motus auctoritate Lampridii, qui Severum capta ab hostibus donare solitum scribit Ducibus, & Militibus

Li-

Limitaneis, hoc est iis, qui limites Imperii tuebantur ea lege, ut neque ad heredes, neque ad privatos transirent, sed tantum ad eos, qui pro fide militarent. Sane hæ, similesque de Origine Feudorum variantes sententiæ, quas fuse referre piget, cum tantum otii mihi abs re mea non sit, sinceram Feudorum originem minime exhibent, sed tantum probant, prælusisse nescio quam apud Romanos in Clientelis, quas Romulus instituit, atque in Prædiis ab hoste captis militibus distributis Feudorum imaginem, ac leviter, et veluti e longinquo adumbratam feudalem disciplinam. Præstat igitur ad recentiora tempora descendere, ut vel saltem probetur, quid verisimilius sit de Feudorum Origine. Atque heic maxime commendes velim Carolum Molinæum *in Consuetud. Paris. Tit.* 1. Aimoinum 1. 14. Gregorium Turonensem *in Hist. Francica IV.*45. qui docuerunt, Feuda a Gallis primum in Galliam, tum vero a Langobardis in Italiam introducta. Adisis Alteserram *Origin. Feud.* 1. Hos fidem eo majorem mereri putaveris, si con-

consulere tibi volupe erit Paulum Æmilium *de Rebus Francicis lib.* 1. & Iacobum Cuiacium in *De Feudis*, qui referunt Gallos vel ante Langobardorum in Italia Dominationem urbes nonnullas Galliæ in Ducatus, ac Comitatus tribuisse Ducibus, Comitibusque ad earum regimen institutis. Id quod porro in Italia Langobardi præstiterunt. An vero a Gothis Galli, ac Langobardi Feudorum institutionem exceperint, heic non quæram, habebis enim hac de re plura in Dissertationibus *De Jure Feudali*, quas Deo annuente edere mihi mens est. Hinc temperare mihi nunc nequeo, quin gravem Caroli Molinæi *in Consuetud. Paris. Tit. De Feudis* errorem huc conferam; Nam tum primum Feuda in nostris regionibus inducta scribit, cum Nortmandorum Imperio subesse regiones nostræ cœperint. Equidem mihi persuadeo in hunc errorem incidisse Molinæum quod fines Langobardici, & Nortmandici Imperii non attente animadverterit. Quod Langobardi non omnes Regni nostri regiones, uti Nortmandis postmodum datum, in suam ditionem rede-

ge-

gerunt, ubique feuda minime induci potuerunt. Sic sub Langobardis in Samnio, & Campania Feuda tantum numerari cœperunt, quæ porro Nortmandorum industria in Apuliam, et Calabriam intrusa. Nam regiones istæ sub Langobardis Græcorum Imperio paruerunt, Nortmannis tamen cesserunt, quod Nortmannorum potentiam infringere nequaquam valuerunt. Igitur si varios hosce Imperii Langobardici, et Nortmandici fines notaveris, profecto certum tibi erit Langobardis in nostris hisce regionibus Feudorum originem deberi, Nortmandis autem incrementa. Legatur Jannonius *Hist. Civ. Neap. IV.* 1.

III. Quæ de origine Feudorum breviter exposui, me impellunt, ut priusquam ad historiam legum Feudalium veniam, proponam causam, ex qua Feuda ortum traxerint. Et causam quidem ortus Feudorum petendam ajo ex necessitate quadam, qua exterarum gentium principes, qui sequiori ævo libidine capti nostras regiones dominandi, coacti agros post gravia bellorum discrimina quæsitos sibi tantum nequaquam

quam addicere, ſed Ducibus militibuſque ſuis tribuere, quos in expeditionibus itinerum comites, in obſidionibus militarium laborum ſocios, in præliis conſortes ſibi adiunxerant. Ut ſcilicet non ſolum ingrati vitio minime laborarent in eos, qui iam præſidio eis fuerant in alienis terris diripiendis, verum etiam ut tutius regnarent, fidemque, atque animos ſubditorum ſibi honorum pretio compararent, conciliarentque. Exinde Feuda olim et Beneficia dicta volunt haud obæſæ naris feudiſtæ, et a Fide nomen habuiſſe, quod nempe Principes Feudorum inſtitutione præmiis optimos viros allicere, atque eorum Fidem quovis vitæ periculo confirmare ſtuduerunt. Ad rem faciunt verba, quæ habentur in Cap. I. *De prohibita Feudi alienatione per Lotharium* in hunc modum: *Comperimus, milites ſua beneficia paſſim diſtrahere, ac ita bonis omnibus exhauſtis ſuorum Seniorum ſervitia ſubterfugere, per quod vires Imperii maxime attenuatas cognovimus*. Conſule hac de re Hotomanum *de Jure Feudali* IV. et Rudingerum *in Methodo Juris Feudalis I.* I.

IV.

IV. Ergo tenes jam quæ verisimilior sit habenda Feudorum origo, quæque fuerit eorum instituendorum causa; ex quibus constat quoque, feudum omnino esse, ut definit Cujacius, *Jus prædio alieno utendi fruendi, quod Dominus dat ea lege, ut, qui accipit, ei fidem, & militare munus, aliudve servitium exhibeat*. Nunc velim exploratum tibi sit, vel ab ipsa origine Feuda peculiaribus legibus obnoxia fuisse. Quod vero legibus feudalibus condendis plures non uno eodemque modo vacarunt, meum heic est, rem totam, uti temporum ratio postulat, breviter enarrare. Itaque quidquid huc spectat, paucis veluti capitibus excipere ne graveris, quibus primum complectar legum feudalium historiam sub Langobardis, tum sub Nortmandis, ac demum sub ceteris Principibus nostris. Atque ab his omnibus paucis me expediam.

DE LEGUM FEUDALIUM ÆTATE SUB LANGOBARDIS.

V. Feuda, quorum Institutioni Lango-

gobardos in Italia maxime vacasse jam tenes, a Langobardis certum jus exceperunt, uti testatur Hornius *in Jurispr. Feud. cap.* 1. Verum jus omne Feudorum sub Langobardis primum moribus stetit, non lege scripta. Hinc pro morum diversitate variæ in regionibus Italiæ consuetudines feudales fuere. Apposite Cujacius 1. *De Feudis* narrat de Feudorum alienatione Ius *variasse* in non paucis Italiæ urbibus. Sane potuisse Cremonæ, Paviæ, & Mediolani Feuda sine consensu alienari ex historia feudali docemur, secus Mantuæ, Veronæ, alibique. Et ne longius ab instituto discedat oratio, contrarios mores a ceteris Italiæ populis in Regnis Siciliæ, & Apuliæ de Feudorum Jure quoque obtinuisse velim te non lateat. Atque hinc est, cur heic memorem *Defetarios Libros*, quorum mentio haud infrequens est apud Scriptores rerum feudalium. Constat enim per hæc tempora consuetudines ad Feuda pertinentes, ne pro ingenio, ac commodo eorum, qui feuda habebant, producerentur, describi cœpisse, atque in pe-

peculiares libros cogi, qui corrupte *Defetarii* dicti. Horum custodiam aliis Principes minime mandarunt, sed sollicite admodum curarunt, ut in suis Regiis domibus servarentur. Quamobrem nequaquam doctis viris admirationi est, quod narrat Cl. Inveges *Hist. Panorm. Tom. III. anno* 1162. Is postquam sermonem habet de impetu a Panormitanis Panormi in Regiam domum facto, continuo dolore ex eo vel maxime Gulielmum Regem affectum addit, quod *Defetarios Libros* amissos, atque urbis excidio discerptos noverit. Quamvis Falco auctor est, Gulielmum tanto malo medicinam facere studuisse opera Matthei Notarii, quem consilio suorum e carceribus exclusit, ut *Libros Defetarios* componeret. Nimirum adeo peritum eorum, quæ in Libris defetariis comprehendebantur, habuere Gulielmi Familiares Mattheum, ut Regi persuaserint, hujus opera posse, quæ erant in hujusmodi libris descripta, in lucem prodire, & memoria, qua pollebat, & juris feudalis peritia, quod penitus eumdem callere putabant. Igitur moribus Langobar-

bardorum feudale ius sub initium stetisse ambigere non est. Quod quidem Ius in universa Italia servatum, immo et apud eos etiam vim omnem accepisse, qui iure Romano vivebant ex eo deducito, quod nihil de Feudis Legibus Romanis cautum. Primus Conradus Salicus tale ius non paucis legibus auxit, cujus exemplo Imperatores, qui eumdem secuti, alias condiderunt. Quo factum, ut in Italia, atque adeo in universa Europa Jus quoddam commune Feudorum in usu esse cœperit. Id quod intelliges ex iis, quæ mox referam.

DE ÆTATE LEGUM FEUDALIUM SUB NORTMANDIS.

VI. Post Langobardos de feudali jure nihil a Nortmandis immutatum, quippe qui dederunt victis suis legibus vivere. Quare qui in Nortmandorum ditionem venerunt sibi habuerunt tum Jure Romano vivere, tum consuetudines feudales adhibere, quæ sub Langobardis invaluerant. At quoniam Nortmandis cesserunt aliæ Italiæ regiones, uti Sicilia, Apulia, & Calabria, quorum

rum aliæ ſub Langobardis Saracenorum dominationem ſubiverunt, aliæ quovis periculo fidem Imperatoribus Græcis ſervarunt, factum exinde, ut conſuetudines feudales Langobardorum a Nortmandis haud improbatæ longe lateque nova regionum iſtarum Italiæ in unam Dominationem acceſſione diffundi cœperint. Quinimmo præſtat heic animadvertere, non tantum Langobardorum leges ad Feuda ſpectantes per hæc tempora ubique viguiſſe, ſed & ceteras quoque, quas Langobardi inſtituerant, ut ad ſuam Πολιτείαν victos populos componerent. Idque præclare probant conſuetudines Barenſes, quas nonniſi a Langobardorum legibus enatas ſatis conſtat cuivis Legum Langobardarum perito. Quare omne incrementum, auctoritatemque ubique Jus Langobardorum per hæc tempora magis quam antea accepiſſe penitus vides. Opportunum igitur recte videri cœpit Langobardorum leges interpretari, atque eas, quod caput eſt, in unum corpus conferre.

VII. Et duos quidem Codices hiſtoria feudalis exhibet, quibus leges Lango-

gobardorum deſcriptæ. Horum alter et antiquior exſtat in Archivio Monaſterii Cavenſis Caſſinenſium,alter in Authentico, tribuſque libris abſolvitur, quorum quiſque in plures Titulos tribuitur. Sed quid uterque Codex peculiare habet, ut pro inſtituto meo heic exponam, ordiar a Codice Cavenſi. Ac ſane Codex hic complectitur Edicta Regum Italiæ a Rotari, qui primus leges ſcriptas Langobardis dedit ad Aſtolphum uſque, qui licet poſtremus Longobardorum Rex non fuit, cum eum ſecutus ſit Deſiderius, qui revera poſtremus omnium regnavit, tamen ſub Aſtolpho haud abs re finis in eo Codice imponitur Legibus Langobardorum, quod novas leges non condiderit Deſiderius ſucceſſor, quippe qui bellis, quibus maxime diſtentus, legibus creandis operam dare non potuit. Sed horum Principum legibus adjectæ nonnullæ Principum Beneventanorum conſtitutiones, quas ſilentio prætereundas non eſſe merito Auctori viſum. Nam expulſis ſub Deſiderio Rege Langobardis a Carolo M. atque translata in Gallorum ditionem Italia, non ceſſavit omnino

Prin-

Principum Beneventanorum ſtudium exemplo Langobardorum Leges promulgandi, ut intra fines ſui Principatus Beneventani valerent, qui ea ætate ferme tot agros, civitateſque comprehendit, quot ferme hodie Regnum Neapolitanum. Itaque plurimas Codex Cavenſis habet leges, qui profecto temporum injuria, uti tot alii antiqui codices, excidiſſet ex poſterorum memoria, niſi Caſſinenſium opera, atque induſtria ejus conſervandi acceſſiſſet, quibus plurimum deberi fateantur neceſſe eſt ſtudioſi cum harum rerum, tum ceterarum, quæ ad hiſtoriam medii ævi pertinent; quandoquidem conſervarunt non paucos antiquos MSS. codices, qui mediæ ætatis hiſtoriam, ac leges maxime illuſtrant. Quod autem attinet ad Auctorem Codicis hujus, definiri tuto nequit. Quod Camillus Pellegrinus *in Append. Lib.* I. *Hiſt. Princip. Langobard.* ſcribit, ubi ait campanum fuiſſe eius Auctorem, et probat Jannonius *Hiſtor. Civ. Lib. X. cap. XI.* §. I. et mihi perſuadet. Moveor equidem ex eo, quod Auctor ſe totum addicere fatetur nonnullis

legibus explicandis; ut Beneventanorum, ac potissimum Campanorum commoda faciat. Nec velim mireris, Auctorem ipsum ejusmodi legum collectioni suas interpretationes adiunxisse; ita enim sese gessit auctor, ut palam faceret, se juris peritissimum quoque esse. Idque aptissime deduco tum ex laudatis interpretationibus, tum ex quibusdam operibus Juris disciplinam spectantibus stilo, atque ordine sui temporis barbariem undique redolentibus, quæ sibi duxit eidem collectioni Auctor adnectere. Atque hæc de membranaceo Codice Cavensi Legum Langobardarum.

VIII. Post Codicem Cavensem prodiit alter codex legum Langobardarum, qui in Authentico habetur. Eius Auctor omnino incertus mihi videtur. Non desunt tamen, qui Petrum Diaconum Monachum Cassinensem auctorem fuisse credunt, inter quos recensendi Conringius *de Orig. Juris cap.* 23. et Struvius in *Hist. Juris Gothic. & Langob.* Atqui nihil hac in re probant. Etenim nihil suadent duo hæc argumenta, quibus id probare student, quorum primum

mum eſt, Petrum Diaconum Lotharii juſſu, cuius Logotheta procul dubio fuit, congeſſiſſe Langobardorum leges, cum aliorum Principum, qui Lothario ſucceſſerunt, leges in Codice Diaconi non comprehendantur, ſiquidem eam, quæ Caroli IV. nomen præfert, aliena manu poſteriori ævo intruſam conſtet. Alterum eſt, Diaconum Auctorem facere nonnulla exemplaria. Sane quod primo loco proponitur, nullius momenti tibi erit, ſi hoc unum animadvertas, eumdem Diaconum, qui in *Chronico ſuo Caſſinenſi* ſingula quæque ſua opera diligentiſſime enumerat, proemia quoque aliorum Libris adpicta, hymnoſque duos, quibus S. Juſtæ laudes celebravit, nullam mentionem facere tanti operis, quod certe memoraſſet, ſi eius Auctor fuiſſet. Alterum propellitur teſtimonio Caroli de Tocco antiquiſſimi Iuriſconſulti, qui in Prœmio Gloſſarum, quas in eumdem Codicem edidit, aperte teſtatur, ſe ejus Auctorem ſcire non potuiſſe, temporumque lapſu Auctoris nomen excidiſſe ait. Profecto Carolus in hunc modum ſcribens & ab exemplaribus, quibus Pe-

tri Diaconi nomen adſcriptum, omnem fidem aufert, & eo magis Codicis auctorem incertum eſſe confirmat. Is enim tradere poterat veri auctoris nomen, ac Patriam, cum ſub Gulielmo vixerit, quem non diu antea Lotharius præceſſit. Ergo probatum hactenus mihi videtur auctorem ſecundi codicis adhuc ignorari. Ecquidnam vero præſtiterint tum Cavenſis, tum alterius codicis auctores, quiſquis hujus auctor fuerit, tu ipſe poteris dignoſcere, ſi tantum otii abs re tua erit, utroſque conſulere. Certe priorem tenebis rerum ordine, quem in eo auctor rite ſervavit, poſteriori præſtantiorem. Hinc eſt, cur culpes ſequioris ævi Juriſconſultos, qui, neſcio qua cauſa, obliti Cavenſis Codicis, quo & elegantius, & ſuo quæque ordine Longobardorum leges digeſtæ, ac poſteriorem hunc Codicem meritis antiquiori illi longe imparem promulgarunt, atque longis commentariis illuſtriorem reddere curarunt. Sic Baſilius Joannes Eriold anno 1557 una cum legibus Salicis, Alemanicis, Saxonicis, & Brittanicis leges Longobardas in altero Codice deſcriptas typis evulgavit. Idem labor

labor exercuit Melchiorem Goldaſtum, & Federicum Lindebrogium, quamvis hic tum Langobardas, tum antiquas leges ſapienter contulit. Mitto, ne te immorer, ceteras editiones, quas idem Codex una cum Authentico ſortitus eſt. Qui porro tantum Codicem commentariis illuſtrarunt, fuere Carolus de Tocco, Andreas Bonellus, Blaſius Morconius, Nicolaus Boerius, & Joannes Baptiſta Nenna Barenſis ſua quique ætate maximæ famæ Juriſconſulti. Horum primus ſub Gulielmo I. vixit, tantique habitus, ut Gloſſæ, quas Codici ſubiecit, probatæ penitus fuerint, auctoritatemque omnem in Foro adeptæ. Secundus ſub Friderico II. floruit, qui ut obviam iret nonnullorum ſuæ ætatis Ictorum probro, quibus potiſſimum curæ erat, Romanis legibus omnem operam dare neglectis Longobardorum legibus, quæ Patrii Juris loco erant, diſcrimina utriuſque Juris Romani ſc. & Langobardi peculiari volumine exhibere curavit, ne amplius ii, qui Romanarum legum ſcientia tantum poſt improbos labores imbuti deſipere viderentur ignorantia earum legum,

 quæ

quæ, cum posteriores essent, priores pro iure suo infirmarent. Non desiere dein sub Roberto Rege Blasius Morconius, ac demum Nicolaus Boerius, & Joannes Baptista Nenna novos commentarios edere; quamvis Blasii commentarii mentionem tantum habeamus apud Marinum Freccia in *de subfeudis*, Nenna vero ferme totus in eo fuit in suo commentario, ut antiqua, atque obsoleta Langobardarum legum verba explicaret, cujus liber Venetiis ipsomet curante prodiit anno 1537. Ceterum Legibus hisce explicandis nullus finis fuisset, nisi earum vis, atque auctoritas paulatim omnino defecisset.

IX. Habes iam Feudales leges primum scriptas non fuisse, atque uti consuetudines habitas, a Conrado Salico, ceterisque Principibus, qui ejus exemplo moti, dein scriptas, easque adeo probatas, ut non solum *commune Jus Feudale* ex iisdem enatum, verum etiam ne cuivis turpiter eas ignorare daretur, bis collectæ fuerint, tametsi posterior collectio ad manus omnium fuit Glossis, ac doctis commentariis aucta, quod typis tantum hæc fuerit evulgata. Nunc, ut

ut ad rem nostram veniamus, teneas oportet, idem Jus servatum ad Rogerium usque in nostris Regionibus tum ab iis, qui Romano, tum ab iis etiam, qui Langobardico jure vivebant; cum enim feuda Romanis ignota, opus ideo fuit Legibus Feudalibus Langobardorum, locorumque variis consuetudinibus eos etiam subiicere, qui Romano Jure vivebant, ac Feuda possidebant, ut sc. controversiæ omnes, quæ ad feudorum Jura conservanda pertinerent, rite expedirentur. Rogerius primus, qui Regionum omnium nostrarum dominium armis adeptus, ac Regnum hocce Neapolitanum instituit, novas leges Feudales condere cæpit, ut hæ æque ac communes in hoc Regno valerent. Post Rogerium idem prosecuti duo Gulielmi, et Fredericus I. Quamobrem factum, ut peculiare Jus feudale in Regno nostro invaluerit, cæperitque porro discrimen illud inter feuda Juris Langobardorum, ac Juris Francorum; Etenim francorum Juri Rogerius ipse non parum indulgere studuit, ut suæ gentis mores, ac jura, quorum amantissi-

tiſſimus erat, apud nos quoque firmaret, immo et ſuis eo magis faveret, quos bellandi cauſa e patriis urbibus evocabat, ut fortes, probæque fidei viros ad bella fortiter, alacrique animo ſuſcipienda ſecum haberet. His ubi feuda pro more donare cæpit, pactis iiſdem Dominos reddere maluit, quibus feudis in Gallia ſtrenui viri donari ſolebant. Quod vero, uti jam dictum eſt, tractu temporis Jus Langobardorum ab uſu diſceſſit, Nortmandorumque jus in Municipalium legum Codicibus deſcriptum perennavit, difficile porro non eſt cauſam adſequi, cur deinceps in feudis jus francorum in Regno Neap. prævaluerit.

DE POSTREMA LEGUM FEUDALIUM ÆTATE A SVEVIS PRINCIPIBUS AD NOSTRA USQUE TEMPORA.

X. Poſtrema hæc Juris Feudalis Ætas paucis abſolvi poſſet, ſi ſatis nobis eſſet, diſſertare de Legibus Feudalibus, quæ vim in Regno Neap. habuerunt poſt Fridericum, quæ quidem vel eumdem Auctorem habuerunt, vel alios Reges

ges Neap. qui post Fridericum imperarunt. At quoniam præter eas leges feudales, quæ uti consuetudines valuerunt, easque, quas post Rogerium nostri Principes constituerunt, sub Frederico II. a quo Svevorum Regnum originem traxit, non pauci libros illos Feudales, qui in decimam collationem inserti, valere in hoc Regno cæpisse volunt, res postulat, ut heic sub initium exponam brevem Librorum istorum Feudalium Historiam, atque auctoritatem, ac dein, quæ huc spectant, conferam ita, ut constet, quid Juris in Feudis porro servatum, ac demum rei, qua de agitur, finis imponatur. Verum ne in rerum dicendarum ordine quid peccare videar, rem omnem accipe in hunc modum. I. habe, quinam ejusmodi Librorum Auctores fuere. II. Ecquodnam Jus iisdem comprehensum sit. III. Quo tempore nobis innotuere, ubi de vi quoque agam, quam apud nos habuerunt.

XI. Atque ut a primo ordiar, compertum habe tempore Friderici quosdam ICtos Mediolanenses hujusmodi Libros conscripsisse. Me tamen non fugit,

git, de veris auctoribus non idem semper visum. Ante Cujacium vulgo in hanc sententiam a Scriptoribus rerum Feudalium itum est, ejus collationis Auctorem præcipuum fuisse Obertum de Horto Advocatum, et Consulem Mediolanensem opera adjutum Gerardi Nigri Mediolanensis etiam consulis. Sed Cl. Cujacius Obertum primi Libri auctorem fuisse negat ex eo, quod in eo sententiæ aliquot exstent alibi ab eodem improbatæ. Quoniam vero illæ Gerardo Nigro tribuuntur, hunc eius Libri auctorem Cuiacius facit. Atqui Cujacio hac in re nonnulli obstant in eo tantum, quod sibi non constare ajunt, an revera Gerardus Niger Auctor ejus Libri fuerit; Nam potius sibi persuadent, Anonimum ex Gerardi sententiis eum Librum composuisse. Adi-sis Montanum in *Prælud. Feudalib. ad L. Imperialem*. Ne autem integrum secundum Librum Oberto adscriberet Cujacius movit et illud, quod in eodem multæ quoq. exstent sententiæ aliis Oberti sententiis contrariæ. Hinc eidem visum vigintiquinque Titulis secundum Librum definire, eumdemq. Ober-

Oberto addicere, reliquos Titulos in duos alios libros partiri; ac demum quinto Imperatorum nonnullorum Feudales leges recensere, quorum Librorum auctores incertos esse mavult. Id probatum a nostris quoque est, qui jam antea idem opinati; quamvis sibi non duxerunt Titulos alio modo partiri, ne sc. essent incommodo Juris feudalis studiosis, ubi eosdem citare opus foret, quandoquidem duobus Libris in Decimam Collationem insertis Tituli omnes comprehendebantur, vel Gerardi dicas, vel Oberti, vel Anonymi. Verum heic postremo quæres, eccur in decimam collationem post Justiniani Novellas Libri illi duo descripti? Hujus rei hanc unam habeo causam, auctoritatem nempe, quam in universa Europa adepti, ut æquarint illam Codicum, quibus Leges civiles perscriptæ. Quare reprehendit haud immerito Jasonem, et Bartholum Carolus Molin. *ad Consuet. Paris. tit. De Feudis*, quippe qui rei causam dedisse male ajunt, quod Libri Feudales inter Juris civilis partes erant recensendi. Profecto rem hanc scite ipsimet

met transegissent, si feudorum originem perspectam habuissent. Hæc de Auctoribus.

XII. Ut autem pernoscas, quæ ad Librorum istorum feudalium materiam pertinent, huc velim conferas, quæ sparsim Dissertatione isthac a me dicta sunt. Næ tibi dedi primum Jus Feudale moribus tantum stetisse usque ad Conradum Salicum. Quare varium fuit in Italia Feudale Jus propter populorum variandi libertatem in definiendis successionibus, iisque omnibus, quæ Feudorum propria esse Principes voluerunt. Habes enim Cremonenses, Mediolanenses, Placentinos, item Siculos, et Apulos varium Jus servasse. Imo ne, quæ a majoribus nostris probata, posteri ignorarent, *desetariis* libris feudales consuetudines, quæ in Sicilia, et Apulia invaluerunt, passim descriptas paulo supra retuli, ut Siculi, Apulique quid ad fidem servandam opus esset, certum tenerent, quid que proprium. Jus a ceteris Italiæ populis variaret, probe scirent. Quoniam vero Conrado Salico in mentem venit certas leges feudales promulgare, diffi-

difficile captu non est, ejus exemplo Imperatores, ac præsertim nostros Principes studuisse non paucis legibus feudalibus edendis. Hinc tam ingens numerus legum, ac consuetudinum feudalium evasit, ut desiderari ab omnibus ceperit integra earum collectio. Id sibi tribuerunt Mediolanenses Icti, qui duobus libris complecti curarunt consuetudines omnes Feudales Italiæ, ac constitutiones Imperatorum; quamvis causam me ignorare fateor, eccur sententias Legum Imperialium ad feuda pertinentium solum exscribere, interpretationesque ad easdem adjicere maluerint. Ex his duorum librorum materies a Ictis Mediolanensibus congesta est.

XIII. Nunc paucis de huiusmodi Librorum ætate, atque auctoritate, quæ præsertim a nostris iisdem tributa, ubi sc. nobis innotuerunt. Ac sane haud improbanda Petro Jannonio *Lib.* XIII. *cap. ult.* recte videtur Francisci de Andreiis sententia, qui circa annum 1170. Libros Feudales prodiisse putat, non autem circa annum 1152. uti scriptum est ab Arcturo Duckio *De Jure Feud.* 1. 6.

qui

qui fuit primus, quo Fridericus I. imperavit. Nam peritis rerum harum optime jam notum est, vel ante Fridericum I. ad manus Italorum eos libros fuisse. Atqui nostris Ictis post id tempus datum eos legere nemini adhuc dubium fuit. Id tamen difficile est adsequi, num sc. anno 1187. quo Henricus Rex Germaniæ nuptias contraxit cum Constantia Gulielmi cognomento Boni Regis nostri Amita, an vero anno 1190. quo Henricus idem pulsis Nortmandis Regni Neapolitani dominium adeptus, ejusmodi legum collectio ad manus nostrorum pervenerit. Si quid mihi hac in re arbitrari concedatur, aperte sentiam, sub Henrico Rege potius Libros Feudales excepisse nostros Ictos habendum esse. Sed nolim credas, eadem ætate publica auctoritate receptos, imo nec ulla peculiari posteriorum nostrorum Principum lege. Scio tamen, non paucis Doctoribus nostris placuisse, adfirmare, a Friderico II. Imperatore publica auctoritate libros feudales probatos, missosque primum ab eodem Bononiam; Quinimmo iidem malunt eumdem jussisse, ut non solum a

Bo-

Bononienſibus Profeſſoribus explicarentur, verum etiam caviſſe, ut ab Ugolino in decimam collationem poſt Novellas infererentur. Verum duo ſunt, quæ eorum ſententiæ mire adverſantur. I. eſt, a Bononienſibus diu antea Feudales libros perlectos, explicatoſque; Id ſatis præclare oſtendunt Gloſſæ Bulgari in eoſdem, qui uſque ad ætatem Friderici I. in Academia Bononienſi Jus profeſſus eſt, atque ita habitus ab eodem Imperatore, ut Urbis Præfectus creatus fuerit. Bulgaro adjungito Pileum, alioſque quos recenſet Arctur. Duck. 1. 6. qui ante Fridericum Gloſſis enodare difficiliora loca Juris Feudalis contenderunt. II. eſt deeſſe legem, ac Scriptorem ullum, quibus id confirmari queat. Et certe fraudi fuit iis omnibus, qui pro publica auctoritate librorum Feudalium ſteterunt, Odofredi locus in Auth. *caſſa Cod. de SS. Eccleſ.* ſibi enim perſuaſerunt, Odofredum eo loci ſcripſiſſe, Fridericum Bononienſibus Profeſſoribus id muneris dediſſe, ut Libros Feudales in Academia Bononienſi explicarent, ut facile cuivis eſſet, leges feu-

feudales addiscere, easque ad fori usum comparare. Sed male. Equidem puto, aut Odofredum eos nequaquam consuluisse, aut pro arbitrio suo citare eumdem maluisse, ut, quid sibi placeret, non sine aliqua auctoritate staret, data posteris cura, ut veritati litarent, ipsum Odofredum adeundi. Et quidem Odofredus Fridericum tantum effecisse ait, ut Professores Bononienses constitutiones suas, aliorumque Occidentalium Imperatorum Feudorum Jura spectantes ad manus haberent, ut sc. quæque Titulis Codicis subjicerentur, ubi Juri Romano adversarentur, quemadmodum Irnerius, vel quisquis alius, Novellas Justiniani in Codicem inseruerat. Id quod revera scribit Odofredus, luculenter demonstrant Authenticæ *cassa et irrita C. de SS. Eccles. Sacramenta Puberum C. si advers. vendit. habita C. Ne Filius pro Patre* exceptæ ex totidem Friderici I. constitutionibus, quas habes Titulis *De Statut. & Consuetud. De Pace tenenda*, et *De Privilegiis honor. art. &c.* Neque te turbet porro, quod ab Ugolino factum idem Odofredus tradit; is enim tantum testatur,

Ugo-

Ugolinum pro Ingenio suo Feudalium Legum Libris alias Imperatorum constitutiones feudales adjunxisse, indeq. factum, ut antiqui Doctores Ugolini opus Decimam Collationem nominarint prosequentes ordinem aliarum novem Collationum, quibus Novellæ Justiniani descriptæ. Igitur qui ex uno Odofredi loco conantur Mediolanensium Ictorum operi Imperatoriam auctoritatem adserere, falsi omnino sunt. Quamobrem, ne te diutius morer, certum modo tibi sit, Feudale Ictorum Bononiensium opus tacito Principum non Italiæ tantum, sed totius Europæ consensu probatum, modo quæ leges ab iisdem collatæ propriis cujusque Regni consuetudinibus, ac legibus non obstarent, uti recte docet Carolus Molinæus *ad Consuet. Paris. tit.* 8. Et quamvis, (ne ab iis, quæ in hoc Regno recepta, discedam) auctor Glossæ in Constit. *Ut de Successionibus. De Success. Nobilium v. injuriam nullus vers. nec dicant aliqui* contrarium ostendere videatur, ubi memorat Ictorum, qui sua ætate floruerunt, variantes sententias de hujusmodi librorum auctoritate; non-

 nullos

nullos enim refert, in ea ſententia fuiſſe, ne quidem deferendum eſſe libris Feudalibus, ſi municipales leges deficerent, tamen poſt Fridericum II. nulla antiquiſſimæ iſtius diſputationis habita ratio, uſuque receptum ſub Andegavenſibus, atque poſterioribus Principibus, quidquid in iiſdem comprehenſum, rejectis tantum quæ noſtrorum Principum Feudalibus legibus adverſarentur. Quod plane ſatis luculenter confirmant ſexcenti Interpretes Hiſpani, Germani, Galli, Italique, ac præſertim inter noſtrates celeberrimus vir Andreas de Iſernia, qui paſſim omnem operam dederunt, Gloſſis, commentariiſque conſuetudines Feudales a Mediolanenſibus collectas ſuo nitori reſtituere. Vide, quæ hac de re tradit Jannonius *Hiſt. Civ. Lib. XIII. Cap. ult. §. II.*

XIV. Quæ hactenus a me longa oratione præter opinionem meam de uſu, et auctoritate Legum Feudalium per varias ætates in hoc Regno Neapolitano diſputata ſunt, brevi nunc colligam. Et primum quidem Feudales quaſdam conſuetudines in uſu fuiſſe Do-

ctorum

ctorum virorum testimoniis probatum a me habes. Earum originem Langobardis tribuamus oportet, quæ, quia excreverunt, duobus Codicibus collectæ, quorum alter MS. in Bibliotheca Cavensi prostat; alter editus fuit; indeque natum *Jus commune Feudale*. Sub Rogerio primum Leges scriptas Feudales in Regno Neap. servari cæpisse porro docui, quamvis eas condere cæperunt exemplo Conradi Salici tum nostri Principes Nortmandi, e quorum genere Rogerius fuit, tum alii posteriores, cum Conradus primus de Feudis Leges scriptas dederit. Quare invaluisse postea apud nos in Feudis discrimen inter Jus Longobardorum, et Francorum notatum quoque est. Hinc gradum feci ad Libros Feudales Ictorum Mediolanensium, qui nostris majoribus sub Svevis, vel paulo ante innotuere. Quorum opera hæc fuit, consuetudines varias Feudales Italorum, ac leges Imperatorum Occidentalium ad Feuda spectantes in unum corpus conferre. Sed nonnisi usu apud omnes ferme Europæ gentes tales libros probatos animadverti. Reliquum nunc est,

ut advertas, Leges Feudales Principum nostrorum Nortmandorum primum a Friderico in suum Constitutionum Volumen opera Petri de Vineis editum insertas, quibus non paucas pro suo Jure adjecit. Quamobrem post Fridericum tutius de Feudalibus controversiis judicatum. Tractu vero temporis novas promulgarunt successores Principes nostri, quæ in aliis Codicibus Legum Neapolitanarum perlegi queunt. His Feudale Jus Neapolitanum constituitur. Verum ubi desunt capita Juris hujus Feudalis, quod inter partes Juris Municipalis recensetur, manum dari ad rem tene iis omnibus, quæ in Libris Feudalibus Ictorum Mediolanensium continentur. Atque hæc habui, quæ tibi dicerem de usu, & auctoritate Legum Feudalium in Regno Neapolitano.



§. XXIV. Nunc de Legibus Regum Andegavensium. Et quidem ubi Regnum ad Andegavenses transiit, leges hasce in Regno Neapolitano viguisse compertum habe, nempe patrias consuetudi-

tudines, Langobardas leges, Conſtitutiones in Friderici Codicem inſertas, quæ Nortmandorum Regum placita complexæ ſunt, ac demum Romanas leges. Id præ ceteris teſtatur Marinus de Caramanico, qui temporibus hiſce vixit, in Proœm. Conſtitut. Regni: *Licet vero*, inquit, *Regnum deſierit ſubeſſe Imperio, tamen Jura Romana in Regno per annos plurimos convenientia Regum, qui fuerunt pro tempore, ſervata diutius conſenſu tacito remanſerunt... imo expreſſim ſervantur, & corroborantur in compilatione Conſtitutionum iſtarum, ubi neque Conſtitutiones hæ, ſeu adprobatæ Regni conſuetudines non obſiſtunt*. At Carolus I. Andegavenſis primum quod a Legibus Romanis, Longobardis, conſuetudinibus, ac Nortmandorum legibus cautum ſervari juſſit, mox tamen excepit eas conſtitutiones, quarum Fridericus auctor fuit, poſtquam a Concilio depoſitus; noluit enim his vim Juris tribui. Sane tunc temporis certi Juris videri cæpit, poſſe Reges, atque Imperatores Regnis ſuis, atque Imperio a Romanis Pontificibus expelli, ac proinde Principes, ubi id

pati cogerentur condendarum legum potestatem amittere. Quod num probarint Andegavenses ex industria, an vero quod ita sentire fas jusque erat, definire non debeo, ne in tricas me conjiciam. Adi si discere, quæ huc spectant, vis Æliam Du-Pinum in *De Antiqua Ecclesiæ Disciplina*, et Auctorem *Hist. Civ. Neapolitanæ*. Ceterum quod leges omnes, quas Carolus retineri statuit pro rerum publicarum regimine, tales non esse novit, ut universorum subditorum optimo iisdem consuleretur, quorum tranquillitati, ac juribus custodiendis incumbere oportebat post tot bellorum incommoda, novas condidit, ut publicæ rei pro ingenio suo satisfaceret, quas pro more Gallorum Capitula, & Capitularia nuncupavit. Atqui Capitulorum Caroli I. alia Neapolitanis, et Siculis communia fuere, alia Siculis peculiaria, quamvis haud diu in Siciliæ Regno obtinuerunt: quandoquidem Siculi, postquam a Carolo defecerunt, alias leges præter Aragonensium Capitula non agnoverunt. Post Carolum I. alii Reges Andegavenses non desierunt nova Capitula edere. Et sua quidem

dem Capitula promulgavit Carolus alter Caroli I. filius, qui cum absente Patre Regnum Jure Vicario regeret novas leges, quæ *Constitutiones Principis Salernitani* dicuntur, Neapolitanis tantum dedit, idque in Capitulorum Proœmio palam professus est. Sed ubi Rex factus alia condidit Capitula, quæ incipiunt a Titulo *de Inquisitionibus, iisque conscribendis*. Nolim tamen heic putes, Carolum II. Capitulis suis conscribendis usum opera Andreæ de Isernia, uti perperam visum Antonio de Nigris *ad Capitulum* 138. cum probatum jamdiu sit Bartholomæi de Capua Regni Protonotarii, ac summi ejus ætatis Jurisconsulti opera nova Caroli II. capitula prodiisse. Robertus quoque alia edidit Capitula, quibus conscribendis, dum viveret, operam dedit idem Bartholomæus de Capua jussu Roberti, eoque mortuo Joannes Grillus Salernitanus, qui Regni Vice-Protonotarius erat. Verum præter hæc Roberti Capitula, quæ Bartholomæus de Capua, & Joannes Grillus collegerunt, alia occurrunt ejusdem Roberti, quæ per Magistros rationales haud abs re descripta

fuerunt, cum ea spectarent, quæ ad Principis Patrimonium pertinerent. His capitulis accensenda quoque sunt alia Caroli Roberti filii Ducis Calabriæ, ac Regni Vicarii cum per Joannem Grillum promulgata, tum per Magistros rationales, pauca quædam Reginæ Joannæ, quæ Carolo huic Roberti filio successit, unum Ladislai, quo vetitum Notariis pro Baronibus, quibus subessent, stipulari, & unum Isabellæ, quod exstat inter Ritus M. C. V. An vero ceteri Reges Andegavenses nova Capitula protulerunt, penitus ignoramus. Atque ex his sane integrum Capitulorum volumen confectum est, quod hodienum inter Codices Juris Neapolitani pro temporum ordine secundo loco numeratur. Quoniam vero ejus auctoritas semper maximi habita, ex nostris Doctoribus nonnulli capitulis quibusque vel glossis, vel luculentissimis commentariis lucem affundere sategerunt. Primi, qui tale opus aggressi, fuere Bartolomæus de Capua, Joannes Grillus, et Andreas de Isernia, quibus passim successere Napodanus, Nicolaus Neapolitanus, Lucas de Penna, Nicolaus Superan-

rantius, Joannes Crispanus, Angelus Pisanellus, aliique. At commendes opus est heic Auctoris historiæ Civilis diligentiam, qui *Lib.*xx.*Cap.ult.* pro temporum ordine seriem Capitulorum Regum Andegavensium breviter digessit, quod quidem nemo alius antea præstitit, ut facile esset cuivis ea recte intelligere, quippe quæ posthabita necessaria methodo peculiari volumine a collectoribus comprehensa fuerunt.

§. XXV. Atqui non tantum capitula edere Andegavenses curarunt, verum & antiquis consuetudinibus componendis operam omnem navarunt, ut utilitati etiam singulis urbibus, subditisque essent. Sic Carolus II. maxime studuit, ut urbis nostræ consuetudines scripto committerentur. Et sane hac in re utiliter sese gessit Carolus, quod primus certas consuetudines Neapolitanas effecit, quæ antea adeo incertæ erant, ut ab arbitrio Litigatorum penderent, qui plerumque falsis testium depositionibus freti consuetudines falsas pro veris opponebant. Ergo sapienter quidem Carolus II. Philippo Minutolo Archiepiscopo Neap.

Neap. imponere sibi duxit, cujus in rebus gerendis dexteritas mira erat, ut duodecim peritis, probisque viris advocatis ex consilio Professorum Regiæ nostræ Academiæ veras consuetudines describeret. Ita Consuetudinum Liber conscriptus est. Verum ubi Carolo oblatus is liber, continuo idem jussit, ut Bartholomæo de Capua tunc temporis Magno Protonotario traderetur, ut si quæ essent emendatione digna, ab eodem emendarentur. Hinc postquam Codex a Bartholomæo de Capua emendatus, a Carolo confirmatus fuit anno 1306. defuncto jam Minutolo, cautumque, ut consuetudines, quæ in eo Libro comprehenderentur, vim in Judiciis haberent, ac rejicerentur omnino, si quæ aliæ a Caussidicis producerentur. At quoniam Carolus Consuetudines Antiquissimas in *Procœmio Constitut.* dixit, sibi haud pauci persuaserunt Consuetudines Neapolitanas ἀμεσῶς derivasse ex antiquissimis illis legibus, quas Neapolitani adhibuere, dum Demarchis, & Archontibus subessent. Sed desunt argumenta, quibus hæc sententia stare tuto

tuto queat. Verisimilius mihi fit, quod Auctor Historiæ Civilis docet *Lib.* XXI. *cap. ult.*, qui potius ex Novellis græcorum Imperatorum, qui recentioribus temporibus Neapoli imperarunt, Consuetudines nostras profectas ait. Id quod revera non ambiget, quisquis conferre studebit potiora, quæ in Consuetudinibus descripta cum Novellis ipsis Græcorum Imperatorum. Atque has consuetudines primus omnium interpretari cæpit Joanna I. imperante Caroli Pronepte *Sebastianus de Neapoli*, qui vulgo Napodanus dictus, cujus in consuetudines commentarius ita probatus a Doctoribus, ut diu ferme vim eamdem, quæ ipsis Consuetudinibus a Carolo tributa fuit, exceperit. Quare factum, ut ubi difficultates oboriantur in consuetudinibus recte intelligendis, atque vel verborum ambiguitate, vel obscuritate difficiles captu sint, Napodanum sequi moris sit ad eas supplendas, aut explicandas. Post Napodanum Commentarios consuetudinibus addidere Doctores alii; quamvis eorum alii *adnotationibus*, alii *decisionibus*, alii *additamentis* contenderunt

derunt consuetudines latius illustrare. Tales fuere Antonius de Alexandro, Stephanus Gaeta, Matthæus Afflictus, Antonius Capycius, Marinus Freccia, Molphesius, Vincentius de Franchis, Bartholomæus Martialis, nuperrime Carolus de Rosa, sexcentique alii. Atqui habe, tot ad nostras Consuetudines commentarios minime effecisse, ut ipsarum sententiam penitus noscere facile esset, siquidem tum verborum, ac sententiarum difficultate, tum tot Interpretum variantibus sententiis adeo tenebris obsita Consuetudinum intelligentia, ut nihil supra.

§. XXVI. Nolim tamen putes, sub Andegavensibus ex peculiari Caroli II. beneficio Consuetudinum Neapolitanarum volumen tantum prodiisse; Nam nonnullis aliis Regni Neapolitani urbibus datum quoque suas consuetudines Regia auctoritate confirmatas proponere, ac suo quasque usui adscribere. Et quidem Barienses, qui diu sub Langobardorum dominatione fuerunt, consuetudines suas primum Rogerio, tum Carolo I. obtulerunt a Langobardorum moribus haud dif-

diſſonas, ut Regia auctoritate firmarent, quorum primus plane, ut legitur in Procem. Conſuetud. Bar. *& laudavit, & ſervavit illæſas: imo potius ſuo inclyto favore firmavit, & eis perlectis demum robur ſuæ conſtitutionis indulſit*. Conſuetudines autem has duo egregii ejus ætatis ICti collegerunt, nempe Andreas Barienſis, & Sparanus, qui plane Conſuetudines Barienſium exſcribere ſtuduerunt ea elegantia, qua nequaquam poſtmodum Neapolitanæ Conſuetudines deſcriptæ fuerunt, cum certum, indubitatumque ſit, Conſuetudines Barienſes ſtilo, atque ordine Neapolitanis maxime præſtare. Ut haud immerito ſit, cur adhuc conquerantur Barienſes, Vincentium Maxillam, qui ad Barienſes Conſuetudines interpretandas anno 1550. manus admovit, rem, uti opus erat, non perfeciſſe, quippe qui neque origines conſuetudinum (quod haud difficile erat tunc temporis perſequi) aperuit, quod ignarus omnino fuit Legum Langobardarum, ex quibus enatæ ejuſmodi conſuetudines, neque ea latinitate res ſuas donavit, ut ſaltem eum ſtilum redole-

dolerent, quo ipſæmet conſuetudines deſcriptæ. Id quod ſi umquam Interpretes conſuetudinum Neapolitanarum minime præſtiterunt, non eſt, cur doleamus, ſiquidem incerta eſt noſtrarum Conſuetudinum origo, atque nequaquam datum conſuetudines eleganti ſtilo deſcriptas ſortiri, ceu Barenſibus datum, quandoquidem Bartholomæo de Capua Conſuetudines Neapolitanas edere placuit *in ſtilo dictaminis eorumdem Civium: ut magis proprie illarum uſualia verba remanerent*, uti habetur in *Proœmio Conſuetud. Neap.* Ceterum quod Barienſium primum, tum vero Neapolitanorum gratia factum, deinceps idem expeditum quoque in nonnullis Regni noſtri Civitatibus, quibus imitari placuit eorumdem exemplum. Sic Averſani ſuas conſuetudines ſcripto comprehenderunt, quæ hodienum ad manus ſunt commentariis Nuntii Pellicciæ. Capuani ſuas habent a Flavio Ventriglia viro nobili Capuano illuſtratas. Cajetanis non deſunt quoque peculiares conſuetudines ſcripto mandatæ. His demum adde (ſatis enim ſit præcipuos quoſdam civita-

tum

tum nostrarum accolas memorasse) Amalphitanos, & Catacios, quorum illi suas Consuetudines habent a Joanne Agostariccio collectas, qui obiit anno 1282. hi vero suarum interpretem habuere Joannem Franciscum Paparum.

§. XXVII. Accesserunt porro Ritus Regiæ Cameræ, ac Ritus M. C. Vic, qui etiam sub Andegavensibus in lucem prodierunt. Sed de his singulatim. Et quod quidem spectat ad Ritus R. Cameræ, duo sunt omnino animadvertenda, quorum altero præstare oportet, ecquisnam Auctor fuerit ejus Codicis, in quem Ritus R. Cameræ inserti, altero vero, quænam capita Juris Neapolitani in eodem descripta. De Auctore luculentissima sunt testimonia apud Auctorem Historiæ Civilis Neap. lib. XXXII. cap. VI. quibus evidentissime probatur, Andreæ de Isernia Rituum R. Cameræ opus deberi. At me præ cæteris movet testimonium illud, quod desumitur ex Codice MS. qui in Archivio Reg. Cameræ etiamnum exstat, quo is Codex ita inscribitur: *Ritus Domini Andreæ de Isernia super universis Juribus Dohana-*

rum &c. Igitur habes jam Auctorem. Ritus autem, quos Andreas collegit, excepit ex Libris, quibus passim opera Magistrorum Rationalium descripta Jura ad Fiscales redditus, atque ad Regalia pertinentia, eorumque, qui Ærarii administrationi vacarent. Quod Magistrorum Rationalium operam laudavi in ritibus conscribendis, ne mireris; olim enim Tribunal Cameræ, quod primum Auditorium rationum, tum Audientia Summaria, ac demum Camera Summaria dictum, a Magistris rationalibus regebatur, quorum erat controversias, quæ de Jure Reddituum Fiscalium, ac de Regaliis nascebantur, definire. Ne igitur novis in dies controversiis super iisdem rebus danda esset semper opera, illas novo Judicio definire, describere Magistri Rationales cæperunt, quæ quæ sua auctoritate definiebant, ut scilicet, si quid novi porro oboriretur in controversiis Fiscalibus, quod jam definitum, vetus definitio nulla interjecta mora controversiam omnem præsto dirimeret. Atque hinc origo est Rituum R. Cam., quos colligere sibi duxit

xit Andreas de Isernia, ut omnium oculis subjicerentur. Id quod antea non omnibus dabatur, cum penuria Manuscriptorum Codicum, quibus ejusmodi ritus exscribebantur, turpiter, quidquid iis comprehensum, ignorare esset necesse. Cur autem *Jura Imperialia* ritus hosce Andreas appellarit, a Scriptoribus rerum nostrarum explicatum jam est, qui plane affirmant, id nomen ritibus Regiæ Cameræ inditum ab Isernia, non quod Fridericus eosdem colligi curarit, quemadmodum ejus jussu Constitutiones collectas paulo supra dictum est: verum quod Fridericus ipse nonnullos ritus veteres, qui fortasse exsoleverant, iterum in usum revocarit. Quare peculiare quoddam discrimen ejusmodi rituum in Collectione Andreæ advertere est; ibi enim ritus, qui sub Nortmandis obtinuere, *Jura vetera*, qui porro a Friderico introducti, *Jura nova*, sive *imperialia* appellantur. Ad ultimum Andreæ de Isernia Collectionem maximi semper habitam scito, ita ut ritus, quos ipse collegit, in Foro laudari in controversiis omnibus cæperint, ac si Regia auctoritate fuissent confirmati, atque valent etiamnum, modo

paucos excipias, qui tractu temporis per *Arresta*, uti vocant, R. Cam., abrogati fuerunt, quorum Arrestor. Collectioni studuit Cl. Regens de Marinis. Exinde factum, ut suos Ritus isti habuerint Interpretes. Sed duo meo quidem judicio mentionem heic merentur, nempe Goffredus de Gajeta, & Anonimus. Horum primus sæculo XV. doctissimos commentarios in ritus edidit, alter sæculo XVI. notas Isterniæ Collectioni adjunxit, qui ubi adnotationibus antiquas controversias agitat, Goffredum de Gajeta antiquiorem Interpretem, Afflictum, aliosque sæculi XVI. Scriptores sæpissime laudat, novas autem ubi tractat, consiliorum ac Decretorum Reg. Cam. dum viveret, & paulo ante etiam editorum, mentionem facit non sine maxima utilitate eorum omnium, qui Jurisprudentiæ Neap. operam dant. Itaque his nolim ullo modo compares Cæsarem Nicolaum Pisanum I-ctum Neapolitanum, qui anno 1699. novam rituum Reg. Cameræ editionem curavit insertis in unum volumen una cum suis commentariis futilibus, minimeque ad res ipsas, quæ erant interpretandæ, opportunis aliis commentariis, & ad-

& adnotationibus Goffredi, & Anonimi. Sane opportunius fuiſſet Piſano, sese a tot curis abſtinere, ſuæque exiſtimationi melius conſulere.

§. XXVIII. Nunc venio ad Ritus M. Curiæ, quorum originem a Regina Joanna II. repete. Ea enim cum pleniſſime noverit, Judiciorum ordinem varium eſſe, quod ritus judicandi incerti, variique eſſent, curare cæpit, ut certi ritus inſtituerentur, qui ſolum in Judiciis valerent. Ne tamen teneas, omnes, quot ſcilicet Rituum Codex habet, ſub Reginæ initium prodiiſſe. Nam conſtat Joannam diverſo tempore ritus M. C. inſtituiſſe. Immo veri ſpeciem habet, pleroſque prodiiſſe eo tempore, quod interfuit inter annos 1424. & 1431. Per id enim tempus, quod Joannæ imperio reliquum fuit, ritibus inſtituendis ferme nullam operam dari potuiſſe exploratum eſt ob diſſidia, ac tumultus, quibus mirum in modum Joannæ, ac Regni tranquillitas turbata. Atqui fuere demum ejuſdem Juſſu omnes ritus in unum volumen collecti, Regiaque auctoritate firmati. Quo factum, ut deinceps non alii ritus in Judiciis adhibiti, niſi qui in Reginæ

Joannæ volumine comprehensi, ne ordo Judiciorum deinceps maximo litigatorum incommodo variaret. Sane aperte sancivit Joanna, ut omnes Regiæ Curiæ in causis, Judiciisque eo libro uterentur. Ita ritus Magnæ Curiæ prodiere. Nunc tamen restat, ut hæc tria, quæ momentum faciunt hac in re, a me enarrentur. I. est, Doctores nostros diu multumque adlaborasse, ut suis numeris distingui, ac laudari hujusmodi ritus possent. Qui labor certe haud levis fuit. Nam primum nullis titulis, nullisque numeris *distinctos* ritus scimus; Hinc lectoribus id oneris imponebatur, ut recte eorum sententias pernoscerent, alios ab aliis distinguere. Idque profecto pro sæculi more factum puta; quandoquidem ea ætate, qua tale opus in lucem emissum nulla notarum, numerorum, ac titulorum interjectione Libros plerumque edi in more positum fuisse apud historicos medii ævi compertum est. Igitur opera eorum, qui ritus interpretati sunt, tene hodie CCCXI. numerari, ac per numeros, ubi opus est, citari. II. est, Ritus hosce, qui hodie M. C. V. ritus no-

nominantur, a Joanna ritus Curiæ Magiſtri Juſtitiarii, & Curiæ Vicarii haud abs re appellari. Sed qui factum quæres, ut olim duarum Curiarum ritus fuerint nuncupati, poſtmodum vero unius dicti? Non aliam profecto cauſam tradi poſſe cenſent Viri docti, niſi hanc unam, quod ætate Reginæ Joannæ, qua vigebat adhuc Tribunal Vicarii, quod a Carolo I. inſtitutum volunt (habebis de Origine hujus Tribunalis plura in *De Juriſdictione, atque Origine Magiſtratuum Neapolitanorum*), Curia Magiſtri Juſtitiarii, & Vicarii diſtincta Tribunalia erant. Hinc oportuit, ritus ambarum Curiarum nomine inſcribere. Spectant huc verba ritus CCCXI. quo primum Regina Joanna nonnullis privilegiis Neapolitanos donavit, tum ut in omnibus Regni Curiis eadem ſervarentur, ſancivit in hunc modum: *quod nulla Curia Civitatis Neapolitanæ tam ſcilicet M. Curia Domini Magiſtri Juſtitiarii Regni Siciliæ, ſeu ejus Locumtenentis, ac Regentis Curiam Vicariæ, quam Capitaneorum, vel aliorum Officialium &c.* Vides jam aperte memorari Curiam M. Juſti-
 tiarii,

tiarii, & Curiam Vicariæ. De Capitaneis te heic non morabor, ne excurrat oratio. Verum cum deinceps Curia Magistri Justitiarii, & Curia Vicarii in unam Curiam coaluerint, ritus conjunctim significari cæperunt nomine Mag. Curiæ Vicarii, seu, uti vulgo placuit, Vicariæ. Sunt qui sub Alphonso discrimen omne Curiarum sublatum scribunt; quamvis ex verbis ritus 289. quo lex occurrit Isabellæ Vicariæ Regis Renati, qui postremus fuit Regum Andegavensium, præclare deducatur vel ante Alphonsum Magnam Curiam Vicarii, & Magistri Justitiarii nullo discrimine nominari cæpisse: *Magnifico Raymundo de Ursinis* (hæc sunt verba Isabellæ, quæ rem explicant) *ac Magistro Justitiario R. Siciliæ, & ejus Locumtenenti, necnon Regenti M. Curiam nostræ Vicariæ*. Quibus verbis Raymundus M. C. Vicariæ tamquam unius Curiæ Regens inscribitur. Sed hac de re fusius alibi erit sermo. Quod postremo loco animadvertendum duxi, mox accipe. Et sane est, cur ad ultimum advertas, vim omnem ad nostra hæc usque tempora servasse

ritus

ritus hosce, ac maxime hodienum adhiberi ad Judicia recte prosequenda. Quare admirationi nunquam fuit, doctos viros eos interpretari summo studio curasse. Primus, qui commentarios edere in ritus cæpit, fuit Annibal Troysius, quibus finis ab eodem impositus anno 1542. ut ipsemet testatur in fine sui operis. His Troysii commentariis nonnullas notulas lectu haud indignas addiderunt Cæsar Perrinus, Michael Troysius, & Hieronymus Lambertus. Verum tum horum omnium, tum aliorum, qui ad ritus explicandos accesserunt, famæ obviam itum a Prospero Caravita, & Regente Petra, quippe qui longe melius quam ceteri ritus hosce explicarunt. Haud tamen ignoro Regentem Petram culpari, quod inutilibus quæstionibus, ac disputationibus a rebus explicandis omnino alienis opus suum auxerit, evulgaritque. Atque hæc mihi visa sunt relatu digna de Ritibus Regiæ Cameræ, & M. C. Vicariæ, ac de iis, quæ Andegavenses præstiterunt per id tempus omne, quo regnarunt. Nunc res ipsa postulat, ut enarrentur ea, quæ a

posterioribus Principibus nostris gesta, ut rite constet, ecquænam Juris Neapolitani fata fuerint ad nostra usque tempora.

§. XXIX. Ac sane Aragonenses, qui post Andegavenses Regni Neap. regimen susceperunt, sub initium Leges Romanas maxime commendarunt. Quare factum, ut non solum Jus Romanum unice explicari a nostris Regiis Professoribus, & Forensibus cœperit, qui summo studio tantum laborem susceperunt, ut quid sua ætate factu opus esset, recte prosequerentur, verum etiam Langobardarum legum usus omnino cessarit. Nec te obturbet Jannonius, qui *Lib.* XXV. *cap.* VIII. saltem quædam Capita Juris Langobardici perennasse ait, argumento præsertim desumto ex Mundualdorum perpetuo in quibusdam Regni locis usu, qui etiamnum ad obligationes mulierum rite contrahendas vocari solent; nihil enim tale argumentum, uti & similia, valet, cum potius id Institutum sit peculiari quorumdam locorum Consuetudini tribuendum, in quibus quod a majoribus pro jure acce-

ceptum, a posteris tamquam consuetudo retentum. Verum sibi habuerunt Aragonenses exemplo Nortmandorum ducti, Suevorum, & Andegavensium, qui Constitutiones, & Capitularia, sive Capitula promulgarunt, ut novis legibus Regnum ad tranquillitatem eo magis componerent, sibiq. animos Subditorum devincirent, suas leges quoque edere Pragmaticarum nomine. Sed priusquam Pragmaticis edendis initium daretur ab Alphonso primo Aragonensium Rege, ex tanti quoque Principis beneficio prodiere aliquot Capitula, quibus nonnulla Privilegia Neapolitanis concessa continebantur. Hinc opportunum est, te monere, Capitula isthæc adjectis sequentium Principum aliis codicem integrum confecisse. Nam cum privilegiis Neapolitanis donandis vacaverint ceteri Reges nostri, qui Alphonsum secuti, hæc adeo excrevere, ut in peculiarem codicem redigi necessarium visum fuerit. Qui primus omnium Capitulorum Regni Volumen publici Juris fecit, fuit Nicolaus de Bottis; is enim anno 1588. complexus est peculiari volumine, quot

quot

quot Privilegia majoribus nostris donarunt Alphonsus I. Ferdinandus I. Alphonsus II. Ferdinandus II. Federicus, Ferdinandus Catholicus, Carolus V. & Philippus II. Quoniam vero ex novis beneficiis Philippi II. aliorumque Regum, puta Philippi III. & IV. Caroli II. & Caroli VI. nova deinceps accesserunt privilegia, natum exinde alterum volumen, quo anno 1719. horum Regum Privilegia collecta fuere. En igitur breviter demonstratum tibi a me est, quidquid ad Capitulorum, seu Privilegiorum Regni historiam pertinet. Nunc redeo ad ea, quæ de Pragmaticis Aragonensium dicenda. Et harum quidem, quarum initium ab ipso Rege Alphonso fuit, immanis ferme numerus evasit. Earum volumen primum prodiit anno 1558. Tum Venetiis typis editæ, atque in calce voluminis descriptæ, quo complexus Venetus editor Constitutiones Friderici, Ritus, & Capitula Andegavensium Regum: mox accessit tertia editio profecto accuratior, quæ anno 1590. & 1591. prodiit. Deinde curantibus Scipione Rovito, & Blasio Altimari aliæ editiones concinnatæ. De-

Demum anno 1715. integra collectio habita. Sed post hanc nova adhuc desideratur, cum novis Pragmaticis, ac præsertim illis, quas Augustissimus Carolus Rex Catholicus condidit, aliud editis jam voluminibus addi posse nesciat nemo; quamvis commodo caussidicorum, eorumque, qui novissima instituta ex Pragmaticis novis inducta nolunt ignorare, peculiare haud diu volumen pro industria cujusdam Typographi sit confectum. Ex his colliges profecto, Pragmaticarum numerum ingentem evasisse, difficiliusque captu jus Neap. reddidisse & multitudine, & origine varia, qua fit, ut non paucæ posteriores præcedentibus derogent, nonnullas quoque abrogent. Hinc Interpretes nonnullos, si lubet, ad Pragmaticas hasce consulere poteris, nullum tamen invenies, qui omnes explicarit. Habe, Annibalem Troisium anno 1477. primum omnium, post Troisium, Joannem Angelum Pisanellum, Marcum Antonium Pulverinum, Scipionem Rovitum, aliosque Pragmaticas suis commentariis illustrare studuisse, singulas tamen non exposuisse singulos novimus, quod quis-

que

que earum interpres esse debuerit, quæ promulgatæ jam erant, antequam ad earumdem explicationem animum adpelleret.

§. XXX. Ergo quæ hactenus dicta, satis luculenter demonstrant, ni fallor, varia Juris Neapolitani fata, postquam strenuitate Rogerii regiones nostræ in Regni formam abierunt. Exploratum tibi jam est ex Nortmandorum, ac Suevorum Constitutionibus integrum Volumen *Constitutionum* in lucem emissum, quarum colligendarum Auctor fuit Fridericus II. Andegavenses Capitula, ritus judicandi instituisse, ac locorum nonnullorum Consuetudinibus, ac præsertim Neapolis vim Juris tribuisse. Aragonenses Privilegiorum, ac Pragmaticarum promulgationi vacasse. Quare pro vario hoc Principum nostrorum ingenio hisce legibus universum Jus Neapolitanum contineri tuto affirmaveris, nempe Constitutionibus, Capitulis, Ritibus, Consuetudinibus, Privilegiis, & Pragmaticis, quæ peculiaribus codicibus exhiberi non est, cur enarrem. Atque hinc velim doleas, ubi noveris im-

immensa hac legum multitudine diversis Codicibus vario tempore descriptarum laborare jamdiu nostros cæpisse. Etenim eo ventum, ut sæpissime quid Juris obtinere debeat, ignoretur, cum in obscuro sit persæpe, quæ vel Constitutionum, vel Pragmaticarum &c. capita vim habeant. At certe non dabitur nobis amplius hisce malis premi, si Codex prodibit, cujus editioni jussu Invictissimi Regis Caroli, qui nunc in Hispania regnat, decem abhinc annis viri selectissimi, ac nostræ ætatis summi I-cti student; sic enim nobis cedet, præclare ea perdiscere, quæ sunt adhibenda vel ad scientiæ Juris Neap. rectam intelligentiam, vel ad Fori usum.

§.XXXI. Verum non deerit fortasse, qui me carpat, quod ad finem Historiam Juris Neap. jam perduxerim, atque Codices, quibus Neap. Jus comprehenditur, jam recensuerim, missos tamen hactenus fecerim sexcentos illos libros, ex quibus vulgo putatur, Jurisprudentiæ Neap. maximam partem, ac forsan meliorem, conflari. Tales equidem habeo dici eos omnes, in quibus *Consiliorum*, *Allegationum*, *Di-*

Disceptationum, *Singularium*, ac *Decisionum* ingens numerus non sine improbo labore collectarum proponitur. Atqui aperte fateor, me facti nequaquam pœnitere; siquidem quidquid de istorum auctoritate sentio, probaveris. Ac primum nolim, te lateat ejusmodi librorum origo. Tene jamdiu Caussidicos nostros studio partium plerumque abreptos illinere chartis consuevisse, quæcumque sibi visa fuerunt opportuniora ad controversias pro ingenio suo definiendas. Hinc ne eadem oculos, ac manus effugerent nostrorum, quos suorum laborum vindices, atque laudatores maluerunt, in publicum edere satagerunt variis illis scriptionum nominibus, quæ quæ per calorem, ac concertationis æstum scripserunt, ut sc. pro prudentum responsis haberentur. En prudentum istorum operum origo. Ecquid igitur concedendum est iis, qui lucri spe moti per mille ambages, ac mæandros id tantum laborarunt, ut prævaleret non quid juri consonaret, sed quidquid sibi suffragaretur. Quamobrem gratuleris oportet huic ætati,

qua

qua ex consilio Sapientum Virorum, quibus urbs nostra, ac Regnum circumfluit, non amplius videntur Adolescentes mirari ea scripta, quibus olim legalem prudentiam nostram miro prorsus scepticismo laborare doctiores affirmabant, sed tantum utilioribus detineri. Ex his tamen ne deducas, omnibus nostris Doctoribus gloriam præreptam malle; etenim commendandi omnino sunt, qui magno ceteroqui judicio præditi veritati, non partium studio litare suis in Commentariis adnisi fuerint. Tales haberi profecto merentur interpretes Codicum illorum, quibus revera Jus omne Neap. continetur. Sane hi dum per otium in suo secessu scripserunt, suis chartis commendarunt non quid dicendo probabile effici possit, sed omnino quid verum sit. His omnibus concedi debet, vel jus supplere, si deficiat, vel æquitatem docere in judicando; si lex ulla interpretatione indigeat. Atque hic brevi Historiæ Juris Romano-Neapolitani finis esto.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 57. *quarum*	quorum
91. *Proemio*	Proœmio
142. *tertisu*	tertius

Cetera benevolus Lector corriget.





